DE MENDACIO

QUID SENSERIT AUGUSTINUS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

E. RÉCÉJAC
IN LYCAEO ANICIENSI PROFESSOR

PARISIIS
APUD E. LEROUX, EDITOREM
28, VIA BONAPARTE, 28

1896

DE MENDACIO

QUID SENSERIT AUGUSTINUS

DE MENDACIO

QUID SENSERIT AUGUSTINUS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

E. RÉCÉJAC

IN LYCAEO ANICIENSI PROFESSOR

PARISIIS

APUD E. LEROUX, EDITOREM

28, VIA BONAPARTE, 28

1896

INTRODUCTIO

I

Unum scripsit Augustinus *de Mendacio* librum (1); alterum *contra Mendacium* (2). — Priorem modo presbyter confecit, cum Hipponem-Regium incoleret, anno post Christum circa tricesimum ac nonagesimum, nullo alio proposito quam ut quaestionem exploraret « quae nos, ut ait, in ipsis quotidianis actibus nostris saepe perturbant » (3). Fatetur etiam Augustinus, nullo praehabito alieni auctoris libro, hoc suum opusculum propriis utique viribus exegisse et rem « cum quaerentibus quaesiisse » (4). Itaque, elapsis triginta ferme annis, cum libros quotquot antehac scripserat retractaret, hunc valde « obscurum et anfractuosum » (5) reputavit, nec non incerta ac difficili indagine exaratum. Quem tamen e suorum operum recensione auferri ideo non jussit, quod « utilem ingenii et mentis exercitationem haberet, magisque moribus posset ad veriloquium diligendum profi-

(1) Operum editio Parisiis MDLXXXVI, t. IV.
(2) Ib.
(3) *De Mendacio*, cap. I.
(4) *Ib.*, ib.
(5) *Retractationum*, lib., I cap. XXVII.

cere » (1). — *Ad Consentium* hic liber inscribitur : at hujus modi inscripto, ut videtur, non statim adhibita, sed postmodum addita est ob certam causam a nobis mox significandam.

Alterum vero *contra Mendacium* librum, annis octo ac viginti hinc elapsis, Augustinus, Hipponensis jam episcopus, scripsit et una cum priore ad Consentium emisit (2). — Sed enim Consentius (quem constat episcopum eodem tempore exstitisse in Balearibus insulis) (3), cum certior fieri optaret de nonnullis multum tunc agitatis quaestionibus, notissimum Augustini arbitrium petivit : neque alio pacto duas ad ipsum rescriptas invenimus epistolas, quarum una ejusdem perlatoris officio missa ab Augustino videtur, qui librum *contra Mendacium* ad Consentium attulit (4).

Priscillianistarum in primis insidias Consentius Augustino renuntiaverat, quorum opere catholica fides tunc in Hispania multum offendebatur : Gnosticorum enim atque Manichaeorum commenta ad unam doctrinae speciem redigentes, Ecclesiae dogmata etiam primaria subverterant (5) ; atque eo magis episcopo-

(1) *Retractationum*, lib. I, cap. XXVII.

(2) *Retractationum*, lib. II, cap. LX.

(3) *Aug. ad Consent.*, epist. CCXXI. — Opera, t. II.

(4) Cf. Epist. *Aug. ad Consent.* CXLVII, ad fin. nec non lib. *contra Mendacium*, cap. I, initio.

(5) Marcus quidam, Ægyptianus, Gnosim primo ad Hispaniam attulit; et, Manichaeis conversatus, propria dogmata eorum commentis adauxit. Deinde Priscillianus, vir ingenio praecipuus, hujus disciplinae dux exstitit; ad quam, ipso capite damnato, plures adhuc in dies admovebantur. Docebat autem Priscillianus animas ejusdem naturae atque substantiae esse cum Deo — fatalibus sideribus obnoxios nascendo versari homines — carnes escas esse immundas — Christum a Patre et Spiritu alium non esse — ac caetera ejus modi. (V. Aug. lib. *de Haeresibus*. Op,

rum studia in se converterant quod, antea multum vexati, consilia sua summopere jam occultabant et Catholicorum nomine gaudentes coetum clam agebant, privata nunquam prodebant. Imo vero, tam stricto secreti jure societatem suam tuebantur ut, nulla mendacii, nulla perjurii ratione habita, hanc sententiam sibi propriam effecissent : *jura, perjura, secretum prodere noli* (1). Itaque catholicis etiam in Hispania visum est, in tanto rerum discrimine positis, mendacium mendacio vincere : et, prae optimo Religionis studio, confidebant intereà omnis criminis exsortes coram Deo remanere (2). — Attamen Consentius anxium de hoc negotio animum Augustino aperuerat : utpote ipsum inprimis commoverant quaedam de mendacio argumenta a Priscillianistis excogitata et in libro reposita, quem isto nomine « Libra » appellaverant. Augustinus haud semel hunc librum infitiatus est et in proprio *contra mendacium* libro tota mente oppugnavit (3) : ipse enim, uti Priscillianistae sacra Scriptura maxime nitebantur ut « dogmatizarent mendacium », per eadem verba, inversa utique interpretatione, veritati, quanta poterat subtilitate, consulebat.

II

Operae nunc pretium est quid de Mendacio senserint

t. VI, p. 13; nec non lib. *ad Orosium contra Priscillian.*, t. VI, pp. 267-271.)

(1) Lib. *de Haeresibus*, t. VI, p. 13.

(2) *Retractationum*, lib. II, cap. LX; cf. libr. *contra Mendacium* passim.

(3) *Contra Mendacium*, cap. III, XVII, XXI.

antiqui philosophi revolvere, ut etiam appareat quid novum ipse Augustinus in libris supradictis attulerit, quid non : praesertim cum multos juvet disciplinam moribus informandis post Christum adhibitam perspicere et vim ejus propriam agnoscere.

Plato, a quo Augustinus omnia fere accepit quaecumque veterum more disseruit, de Mendacio non scripsit tanquam perversae voluntatis vitio : quemadmodum enim omnes bonos ac probatos animi motus a sola mentis sapientia repetebat (1), mendacii culpam ab errore parum distinxit, nec verbis unquam depromi posse reputavit, nisi illuso seu ignoranti animo prius irrepserit. Quanto longius, ut putat ille, ab Ideis vivimus, quae omnem rerum essentiam seu veritatem in se habent, tanto magis falsitati addicimur et omnimoda miseria simul afficimur (2) : falsitas vero in mente « verum ipsumque mendacium est » (3) ; in sermonibus non purum mendacium videtur, sed quaedam imperfecta mentis imitatio (4) ; in rebus tandem « materia » nominatur, per quam ab ideali perfectione ipsae deficiunt (5). Ipsa autem falsitas Platoni omne malum seu purum malum reputatur. — Mundus iste, quem homines habitamus, veritatis nihil habet, nisi parvam quamdam Idearum similitudinem : itaque artes, quibus mundi naturam imitamur, nihil ad nos referunt, nisi

(1) *Euthydem.*, 279-280. — *Rép.*, liv. IV. 445. c.

(2) *Parménid.*, 134. a, b, c.

(3) Ἀλλὰ μὴν ὀρθότατά γ᾽ ἄν, ὃ νῦν δὴ ἔλεγον, τοῦτο ὡς ἀληθῶς ψεῦδος καλοῖτο, ἡ ἐν τῇ ψυχῇ ἄγνοια ἡ τοῦ ἐψευσμένου· ἐπεὶ τό γε ἐν τοῖς λόγοις μίμημά τι τοῦ ἐν τῇ ψυχῇ ἐστι παθήματος καὶ ὕστερον γεγονὸς εἴδωλον, οὐ πάνυ ἄκρατον ψεῦδος. (*Rép.*, liv. II, 382. b. c.)

(4) *Ib.*, ib.

(5) *Rép.*, liv. II, 379. a, b, c; et *Tim.* 53. a, b.

inanem umbrarum imaginem; illi etiam (quod nobis ad propositum inprimis refert) a mendacio non absolvuntur, qui artificiis suis ipsa naturae exemplaria corrumpunt et ab Ideis faciem suam prorsus avertunt (1). — Hac igitur sibi praestituta mendacii definitione, Platonem non exspectamus falsiloquio adversaturum tamquam inexcusabili flagitio. Errore autem vitato, quod « verum mendacium est diis nec non hominibus odiosum », servatis quoque iis quaecumque ad civilem justitiam conferunt, prudentiae jam nostrae relinquitur eis modis mentiri quibus, etsi una res pro altera significatur, propriae tamen menti parcitur (2). Imo, falsiloquium regibus aliquando esse necessarium dixit Plato et honesta quaedam mendacii genera exhibuit (3).

Aristoteles de Mendacio in *Ethica ad Nicomachum* pauca exhibuit; nec sermonem ampliorem produxit quam ad rem sibi praestitutam referebat, nempe ut cives reipublicae procuraret prudentia magis quam sapientia honestos. Hominem itaque eodem pacto veridicum esse jubet quo *politicum;* ac, re propius attenta, Aristotelis sententiam existimamus omnem recidere in praeclaram ejusdem auctoris doctrinam quae « justi medii vocatur » (4). Modestiae quidem

(1) *Rép.*, liv. X, 595 et liv. IV, 420. — Cf. Espinas : Introduction au IVe livre de la *République*. Arts d'imitation, pp. 72-74.

(2) *Rép.*, liv. II, 382. c.

(3) *Rép.*, liv. III, 389. b, c, d.

(4) Περὶ δὲ τῶν ἀληθευόντων τε καὶ ψευδομένων εἴπωμεν ὁμοίως ἐν λόγοις καὶ πράξεσι καὶ τῷ προσποιήματι. Δοκεῖ δὴ ὁ μὲν ἀλαζὼν προσποιητικὸς τῶν ἐνδόξων εἶναι καὶ μὴ ὑπαρχόντων καὶ μειζόνων ἢ ὑπάρχει. Ὁ δὲ εἴρων ἀνάπαλιν ἀρνεῖσθαι, τά ὑπάρχοντα ἢ ἐλάττω ποιεῖν. Ὁ δὲ μέσος αὐθέκαστός τις ὢν ἀληθευτικὸς καὶ τῷ βίῳ καὶ τῷ λόγῳ, τὰ ὑπάρχοντα ὁμολογῶν εἶναι περὶ αὑτόν, καὶ οὔτε μείζω οὔτε ἐλάττω. Καθ' αὑτὸ

atque urbanitati adversari mendacium arbitratur; altiora autem principia non quaerit, quorum momentis ipsum exprobret et ab hominum moribus prorsus avertat.

Apud Stoïcos vitae honestas ad quamdam veritatis formam reducitur; sed quam ab illa veritate diversam, quam Plato supra hujus mundi negotia adspexerat, ipsas etiam hominum mentes superantem! Stoïcis sapientiae ac simul veritatis negotium hoc jam unum agitur, ut ratione omnia intra hominem sibi concinant: ideoque nullo alio pacto quisque peccare dicitur, nisi quatenus ipse sibi, ratione contempta, contradictionem ingerit, seu ipse sibi mentitur (1). Epicteta hanc sententiam edidit: furem a suo flagitio statim esse revocandum, ut ejus menti affulgeat hoc ipsum sibi obesse quod sua interesse putaverat; hominem enim essentia rationalem existere, nihilque mali per voluntatem intendere, quin mente praecorruptus fuerit; omne tandem peccatum in aliquam mendacii maliciam recidere (2). Hac igitur arte Stoïci omnem praeci-

δὲ τὸ μὲν ψεῦδος φαῦλον καὶ ψεκτόν, τὸ δ' ἀληθὲς κάλον καὶ ἐπαινετόν. Οὕτω δὲ καὶ ὁ μὲν ἀληθευτικὸς μέσος ὢν ἐπαινετός, οἱ δὲ ψευδόμενοι ἀμφότεροι μὲν ψεκτοί, μᾶλλον δ' ὁ ἀλαζών. (*Ethica Nicomach.*, lib. IV, cap. VII.)

(1) *Epict. dissert.*, lib. II, cap. XXVI.

(2) Πᾶν ἁμάρτημα μάχην περιέχει · ἐπεὶ γὰρ ὁ ἁμαρτάνων οὐ θέλει ἁμαρτάνειν, ἀλλὰ κατορθῶσαι · δῆλον ὅτι ὃ μὲν θέλει οὐ ποιεῖ. Τί γὰρ ὁ κλέπτης θέλει πρᾶξαι; τὸ αὑτῷ συμφέρον. Οὐκοῦν, εἰ ἀσύμφορον αὐτῷ ἐστι τὸ κλέπτειν, ὃ μὲν θέλει οὐ ποιεῖ. Πᾶσα δὲ ψυχὴ λογικὴ φύσει διαβέβληται πρὸς μάχην · καὶ μέχρι μὲν ἂν μὴ παρακολουθῇ τούτῳ, ὅτι ἐν μάχῃ ἐστίν, οὐδὲν κωλύεται τὰ μαχόμενα ποιεῖν · παρακολουθήσαντα δέ, πολλὴ ἀνάγκη ἀποστῆναι τῆς μάχης, καὶ φεύγειν οὕτως, ὡς καὶ ἀπὸ τοῦ ψεύδους ἀνανεῦσαι πολλὴ ἀνάγκη τῷ αἰσθανομένῳ ὅτι ψεῦδός ἐστι · μέχρι δ' ἂν τοῦτο οὐ φαντάζηται, ὡς ἀληθεῖ ἐπινεύει αὐτῷ. (Epict., *Ib.*, ib.)

dere de mendacio disceptationem. Contradictionem solam attendentes, qua sibi omnis peccans occulte mentitur, parum etiam curaverunt (quod nos exemplo haud ignobili cognovimus) exteriorem repugnantiam quae est inter ea quae re ac mente habentur et illa quae falsis verbis ostenduntur ; sed et hanc repugnantiam, quae pro ipsa mendacii malitia vulgo reputatur, dixerunt aliquo superiori rationis jure superari posse, eoque pacto sapientem aliquando ore mentiri, quin ullam animo suo culpam adjiciat (1).

Nihil iis amplius vel gravius de Romanis scriptoribus promere est. — Nec interea nos praeterit quantum illa gens fide fortis exstiterit negotiaque, quotquot suscepit, optima juris conscientia sibi opitulante, feliciter egerit : sed haec Romanorum virtus ad nullam Sapientiae doctrinam referenda est ; speculativae veritatis studio nunquam enixa ; insuperabili tantum publicae utilitatis desiderio stabilita est. Enim vero, jure corruente, omnis res sive publica sive privata, ut ipsi intellexerant, in summo discrimine versatur : neque alia ratione Ciceronem semel invenimus fidei muniendae momenta petentem, ideoque anxium remanentem quod certiora nulla adspiceret, quam antea a gentibus pacta aut legibus sancita fuerant, nec non « effigiem verae germanaeque Justitiae »

(1) Βλάψουσιν οἱ σοφοὶ ψευδεῖς φαντασίας ἐμποιοῦντες, ἂν αἱ φαντασίαι ποιῶσιν αὐτοτελῶς τὰς συγκαταθέσεις · πολλάκις γὰρ οἱ σοφοὶ ψεύδει χρῶνται πρὸς τοὺς φαύλους καὶ φαντασίαν παριστᾶσι πιθανὴν, οὐ μὴν αἰτίαν τῆς συγαταθέσεως · ἐπεὶ καὶ τῆς ὑπολήψεως αἰτία ψευδοῦς ἔσται καὶ τῆς ἀπάτης. (Plutarq., *De contr. stoïc.*, 47. — Cf. Stobée, *Ecl.*, II, 230.)

supra omnia mundi negotia, nescio quam, sibi reposcentem (1).

III

Jamvero Christiana religione in universo fere mundo accepta, « Fidei » vocabulum ad quamdam peculiarem acceptionem trahi coepit, communi tamen sensui minime repugnantem : cujus rei causa fuit nova quaedam certitudinis species, qua majorem homines nullam experti antea fuerant. — Equidem ab opere nostro prorsus alienum putamus hoc novum certitudinis genus expendere, quod exteriori auctoritatis momento inprimis nitebatur : at ratione tamen jubemur animadvertere, quoniam de Mendacio sermo nobis est, novam virorum Christianorum fidem, semel adducta sibi hac certitudinis specie, nihil jam verbis mutari potuisse quin « mentientes » ipsi efficerentur. — Quin etiam Fides in animis hoc modo instaurata nobis videtur eam rem moralem, quae antiquo « fidei » nomine enuntiabatur, ad quamdam potiorem firmioremque significationem evexisse : accepto enim desuper aliquo veritatis momento, multo jam strictius homines ad incommutabilem Deum fide colligebantur quam ad invicem : neque alio pacto Christianorum coetus « fidelium » nomen omnino jam sibi proprium effecere. Nec non Augustinum audimus fidei fortitudinem « castamque animi integritatem » sic commendantem, ut religionis Christianae insigne quiddam maneret, seu sacramentum quo deberent coelestes

(1) *De Officiis*, lib. III, cap. XVII, 69.

homines a terrenis secludi (1). — Neque virum tam prudentem praeteriit novam Doctrinam, quandoquidem hoc enuntiabilium genere tota constabat, quod, non rationis evidentia, sed sola auctoritate fulcitur, abolendam brevi fore, nisi priores Christiani nominis magistri tanta fide ipsi claruerint, qua purior ac fortior sub cœlis altera nunquam exstiterit (2). Itaque magnam operis partem, quod expensuri modo sumus, Augustinus huic negotio impendit. At nos, ut integram viri sententiam de mendacio assequamur, circa celebrem contentionem quae primum inter Porphyrium et Origenem orta, deinde inter Augustinum et Hieronymum revocata est, pauca praemittere debemus (3).

Cum novarum rerum post Christum ordo antiquum Hebraeorum jus praecidisset (quod *Vetus Testamentum* propterea vocari jam coepit), nova fides cum patriis ritibus credentium in animis ita permixta erat ut, nullo veritatis universalis arbitrio hic existente, in alterutram partem singuli traherentur, majore etiam sinceritatis quam religionis periculo. Itaque magnopere disceptatum est utrum Judaei patrias leges dese-

(1) « Non de homine quaerimus adhuc ad Ægyptum, vel ad Hiericho, vel ad Babyloniam pertinente... sed de cive illius civitatis quae sursum est libera mater nostra in coelis... Filii autem illius civitatis filii sunt utique veritatis. Ejus civitatis filii sunt de quibus scriptum est in « ore eorum non est inventum mendacium. » (Apoc., 14, b. 5. — *Contra Mendacium*, cap. XVI.)

(2) *De Mendacio*, cap. X; cf. cap. VIII.

(3) *Orig. libr. Stromat.*, X. — Cf. *Epist. Hieron. ad Aug.*, XI. Oper. Aug., t. II, p. 19. Prima hujus controversiae causa fuit « ut responderetur Porphyrio blasphemanti, qui Pauli arguit procacitatem, quod principem Apostolorum Petrum ausus est reprehendere... quod in eo errore fuerit, in quo ipse fuit » (*loc. cit.*).

rere cogerentur, an Christiano nomine simul gauderent et antiqua jura servarent de circumcidendo praeputio, de sabbato, de suffocatorum animalium comestione, etc. — Apostolorum vero concilio sancitum fuit neque Judaeis de jure proprio aliquid esse immutandum, neque caeteris gentibus mores judaïcos innovandos esse, dummodo ad Christi religionem omnes se transferrent quocumque peculiari jure majorem : cujus etiam decreti principem constat exstitisse Petrum (1). — Verumtamen, exortis in diversas partes seditionibus, Apostoli decretum urgere vix audebant et, pro temporis vel loci utilitate, modo Judaeis, modo gentibus consentiebant. Imo vero, Petrus, cum Antiochiae versaretur ac gentili consuetudine primum uteretur, advenientibus quibusdam cum Jacobo Judaeis, timore perculsus est; nec se tantum ad ritus judaïcos cito transtulit, sed Barnabam etiam ad hoc ipsum cogere praesumpsit. Restitit autem Paulus qui ibidem eo tempore versabatur, dicens : « Si tu, quum sis Judaeus, gentiliter et non Judaïce vivis, quomodo cogis gentes judaïsare ? » Hoc factum Paulus in epistola ad Galatas expressa verborum collatione retulit, argumentum inde sumens ut ipsos, omissa circumcisione, ad solam Christi fidem revocaret (2). — Attamen de Paulo ipso illud in libro *Actuum Apostolorum* refertur, quod praecipuo utique oppugnantium nec non defendentium opere disceptatum est : « Pervenit Paulus Derben et Lystram. Et ecce discipulus quidam erat ibi nomine Timothaeus, filius mulieris Judaeae fidelis, patre gentili... Hunc voluit secum proficisci :

(1) Libr. *Act. Apost.*, cap. xv.
(2) *Epist. ad Gal.*, cap. II, 11-15.

et assumens circumcidit eum propter Judaeos qui erant in illis locis. Sciebant enim omnes quod pater ejus erat gentilis (1). »

Hieronymus igitur, vir maxime omnium in Scripturis versatus, cum « expositionem » quamdam epistolae ad Galatas fecisset, rem libere expenderat et Paulum dixerat hoc loco veram animi sui sententiam verbis obscuravisse, nulla quidem Galatas fallendi voluntate, sed quadam orationis arte, ut integra apud ipsos Christi fides remaneret (2). — Circumferebatur etiam apud omnes ecclesias hoc Hieronymi scriptum ; nec mediocriter doluit Augustinus, quoniam, semel admisso in tantum veritatis fastigium officioso mendacio, inconcussam Scripturarum auctoritatem stare jam non posse arbitrabatur (3) : quam animi sui tristitiam ipsi Hieronymo per unam et alteram epistolam, haud sine aliquo reprehensionis aculeo, declaravit. — Neque brevi tempore dirempta causa fuit : Hieronymus quippe, praeter eximiam animi sui fidem, notissima virorum nomina protulit, Origenis, Laodiceni Apollinaris, Eusebii Emisceni, Theodori quoque Heracleotis, quibus visum erat ut ipsi (4). Imo vero, exorta inter illos viros aliqua animorum simultate, contra humanam fidem facere Augustinus ab Hieronymo, contra divinae veritatis jura Hieronymus ab Augustino arguebatur (5). — At nostri operis non est totam rem pro-

(1) *Act. Apost.*, cap. XVI, 1-3.
(2) Epist. XI, *Hier. ad Aug.*, cap. III, ad fin. — Ep. XIX, *Aug. ad Hier.*, cap. II.
(3) Epist. VIII, cap. III.
(4) Epist. XI.
(5) Hier. ad Aug. : « Praetermitto salutationis officia quibus meum demulces caput... Iterum dico : quando episcopus es... ut probes verum esse quod dicis, suscipe aliquem Judaeorum qui,

mere. Augustini tantum sententiam inquirimus ; et quibusnam sapientiae momentis mendacium impugnaverit, aut apostolicam simulationem defenderit, ostensuri deinde sumus.

De libris vero Augustini unde haec thesis nostra prodiit, causa jam exposita qua ipsos edidit, haud jam longa percunctatio haberi potest. — Equidem animadvertimus quaecumque Augustinus de mendacio scripta reliquit non eamdem verborum curam ostendere, quam ipse suis opusculis exarandis plerumque adhibuit (1) ; neque ea distinctione nitent, per quam ea quae sequuntur ad priora aptius intelligenda proficiunt : occasione enim atque utilitate magis haec scripsit, quam curiosa ac libera rerum inquisitione (2). — Quamobrem proprio atque dialectico ordine rem nos ita repetimus, ut omnia ex diversis locis sibi concinant et ab invicem illustrentur, nihil interea diligentius attendentes quam ut propria ac vera Augustini sententia, de mendacio et iis quae circa menda-

factus Christianus, natum sibi filium circumcidat... et quum hoc feceris, imo non feceris (scio enim te Christianum), velis, nolis, tuam sententiam reprobabis..... Peto ut quiescentem senem olimque veteranum militare non cogas. » (Ex epist. XI.) — Aug. ad Hier. : « Quis locus relinquitur in disputatione Scripturarum sine ullo rancore versandi ?... Quapropter etsi bos, ut tibi videris, lassus senectute forte corporis, non vigore animi, tamen in area Dominica fructuoso labore desudans, ecce sum, si quid perperam dixi, fortius fige pedem... Nec te, mi frater, arbitror sic legi tuos libros velle, tamquam Prophetarum ». (Ex epist. XV, nec non XIX.)

(1) « Eloquium noli quaerere. » (*De Mendacio*, cap. I.)

(2) *De Mendacio*, cap. I.

cium oriuntur quaestionibus, opere nostro exhibeatur. Atqui auctor insignis id ipsum nos monuit, aut etiam jussit : ipse enim, uti accepimus, priorem *de Mendacio* librum eo pacto remanere voluit, ut posteriori *contra Mendacium* libro componeretur et integram ambo unamque rem exhiberent (1). — Praeter ambos autem eosce libros, quaecumque ex Augustini scriptis ad rem facere videbantur, quam tractandam suscepimus, tam nostra esse putavimus quam ea quae proprio nomine *de Mendacio* vel *contra Mendacium* inscribuntur. Sapientiam integram quaerimus qua vir ille, sinceritate praecipuus, hominum conscientiam munivit ut fide fortes evaderent, nobilique animorum consortio nunquam deficerent mentiendo.

(1) « Librum retractatum manere praecepi, maxime quia in eo nonnulla sunt necessaria quae in altero non sunt... Ad eumdem tamen finem uterque dirigitur. » (*Retr.*, lib. I, cap. XXVII.)

CAPUT PRIMUM

QUALE PECCATUM SIT MENDACIUM

I. — Primum ab omni peccatorum specie, quae non sit ipsa mendacii malitia, quaestionem abstrahere debemus; quo pacto definitionem exaravit Augustinus : « Mendacium est enuntiatio falsa cum voluntate ad fallendum prolata (1). » Manifestum est talem enuntiationem prorsus ac semper mendacium esse; sed magna superest quaestio, an hoc solum sit mendacium. — Augustinus, secum quaerens num ad mendacium requiratur, praeter enuntiationis falsitatem, expressa fallendi voluntas, exempla adducit unius hominis, qui verum dicit animo fallendi, et alterius, qui falsum dicit ut verum credatur (2). Priorem si de mendacio excusaveris fallere volentem, externo et quasi materiali, nescio quo, veritatis jure niteris ; si vero posteriorem, mendacium ergo fateris totum in aliquo mentis vitio consistere nullumque, praeter formalem, defectum ostendere. — Nos tamen neutri eorum

(1) *De Mendacio*, cap. IV.

(2) « Unum... velut si aliquam viam noverit obsideri a latronibus et timens ne per illam pergat homo, cujus saluti prospicit, et eum scit sibi non credere, dicat eam viam non habere latrones... Alterum autem qui sciens verum esse ad hoc tamen dicit homini non credenti ut fallat. » (*Ib.*, ib.)

exemplorum immorabimur : isti enim, quos in hac hypothesi proposuit Augustinus, ideo falsum ad certitudinem faciendam et verum ad falsitatem enuntiant, quod ambo mendaces adeo existunt, ut fidem jam nullam obtineant (1). Ubi vero hominum mentes ita corrumpuntur, ut verba eorum *semper* sint ad contrarium sensum invertenda, hi non jam homines sunt; neque ad ulla exempla valent. Augustinus, eamdem sententiam sane secutus, propositam quaestionem ibi non praecidit : diverso tamen argumentorum genere mendacium exhibuit tamquam in subjecto ac simul in objecto malum.

Jamvero ea quaestio, « an sola fallendi voluntas pariat mendacium », non prius solvi sapienter potest, quam didiceris certa ratione in quo jaceat propria mendacii malitia, quae scilicet absque ulla hominum injuria efficitur neque ullam aliam honestatis speciem offendit. — Augustinus omnibus primum consentit qui rem eamdem tractavere : esse videlicet mendacii culpam in aliqua contradictione per ipsam mentientis voluntatem propriae menti incussa. Solertius etiam ipse quam caeteri ostendit specialem hanc discrepantiam, quae in mendacio jacet, non tantum a mente ad os haberi, sed intra ipsam mentem tamquam morale quoddam vitium manere : mentiendo enim, ut putat, homo « duplici corde » efficitur; sed et proprium animum, qui ad hoc in primis natus est, ut sit in seipso unus vel simplex, in duas partes atrociter sibi ipse discindit, dum unius rei cogitationem, quam scit aut credit veram esse, alterius rei, quam novit falsam

(1) *De Mendacio*, cap. IV.

esse, indebita et quasi incogitata cogitatione adulterat (1). Atque exinde apparet integritatem animi non tam in scientia esse, qua res uti vere sunt capessimus, quam in aliquo voluntatis habitu, quo res, quomodocumque eas novimus, sic aliis ac nobismetipsis exhibemus : quod proprio *sinceritatis* nomine significatur (2).

Augustinus hac posteriore sententia stetit ac voluntati potius quam menti propriam esse mendacii pravitatem arbitratus est. Re enim vera ipsa cogitatio a seipsa divelli non potest; sed, uti Plato sapienter animadvertit, mens ne somniando quidem apta est omnino seipsam fallere (3). Itaque mendacii malitia, teste Augustino, in hoc postremo habetur quod homo de aliqua re suam existimationem « *claudit in pectore* » et aliam, non suam, aliis lingua profert (4). — Contradictio igitur videtur nobis, non omnino mentis ad seipsam existere, sed imaginationis seu phantasiae, per quam verba conteximus, ad eam interiorem animi sedem, in qua vere manet rerum scientia nec non sui ipsius

(1) « Ille mentitur qui aliud habet in animo et aliud verbis... Unde etiam duplex cor dicitur esse mentientis, id est, duplex cogitatio : una rei quam veram esse vel scit vel putat et non profert ; altera ejus rei quam pro ista profert, sciens falsam esse vel putans ». (*De Mendacio*, cap. III.)

(2) « Quisquis autem hoc enuntiat quod vel creditum animo vel opinatum tenet, etiamsi falsum sit, non mentitur. Hoc enim debet enuntiationi suae fidei, ut illud per eam proferat, quod animo tenet et sic habet ut profert. » (*Ib.*, ib.)

(3) Λόγον, ὃν αὐτὴ πρὸς αὑτὴν ἡ ψυχὴ διεξέρχεται περὶ ὧν ἂν σκοπῇ... τοῦτο γάρ μοι ἰνδάλλεται διανοουμένη, οὐκ ἄλλο τι ἢ διαλέγεσθαι αὐτὴ ἑαυτὴν ἐρωτῶσα καὶ ἀποκρινομένη, καὶ φάσκουσα καὶ οὐ φάσκουσα... Οὐδ᾽ ἐν ὕπνῳ πώποτ᾽ ἐτόλμησας εἰπεῖν πρὸς σεαυτόν, ὡς παντάπασιν ἄρα τὰ περιττὰ ἄρτιά ἐστιν ἢ τι ἄλλο τοιοῦτον. (*Théét.*, XXXII. 189. e : 190. a, b.)

(4) *Enchiridion ad Laurent.*, cap. XVII

conscientia. — « Errare » et « mentiri » (modo hujusmodi placeant quae hic recolimus) in hoc tandem discrepant, quod homo cogitationem suam in verbo, nunc minus, nunc magis expresso objicit, prout sibi, vel aliis, res enuntiare intendit. Priori quidem modo, homo aliquam rei imaginem, verbo quodam interiore, sibimetipsi proponit vel significat (1); et, ubi aliquo rationis dictamine aut sequente experientia nobis renuntiatur hanc *propositionem* recte fieri, vel non, existimatio vera invenitur, vel falsa. Posteriore autem modo, verbum mentis (sive in se falsum sit, sive verum) prolativis etiam verbis ad caeteros homines objicitur, seu enuntiatur; et tunc, nisi enuntiando omni ope conemur id ipsum dicere quod mente nostra concipitur, plus minusve mentiri reputamur. — Ambo haec utique vitia sunt : unum quidem ad rem, quam « logicam » vocant, proprie attinet; alterum vero, ad « moralem ». — At, quamvis error ad intellectum, mendacium ad voluntatem potius referatur, Augustinus videtur unus eorum philosophorum exstitisse, qui aliquid voluntarium etiam in errore animadverterunt; ea tamen adhibita distinctione, quod ex aliquo attentionis defectu communiter erramus, ad mendacium vero mala voluntas utique adhibetur contraria enuntiandi eorum quae sentimus (2).

(1) « Errat, non quisquis aliquid nescit, sed quisquis se existimat scire quod nescit : pro vero quippe approbat falsum, quod est erroris proprium. » (*Enchir. ad. Laurent*, cap. XVII.) — « La seule croyance qui est sujette à l'erreur est celle qui se produit lorsque nous affirmons avec conscience la réalité objective d'une chose. » (Brochard, *De l'Erreur*, p. 101.)

(2) « Falsitas oritur, non rebus ipsis fallentibus, quae nihil aliud ostendunt sentienti quam speciem suam, quam pro suae pulchritudinis acceperunt gradu; neque ipsis sensibus fallen-

Caeterum mendacium, non tantum ipsam mentientis integritatem laedit, sed etiam in injuria quadam consistit, quam, praeter quodvis damnum externum, ille patitur cujus fide mentiendo abuteris. Sed enim Augustinus apprime ostendit talem injuriam per solam mentiendi voluntatem effici, etiam si mendacium ex aliqua circumstantia irritum evadat. De quo audiatur ipse : « Culpa vero mentientis est in enuntiando animo suo fallendi cupiditas : sive fallat, sive non fallat (1). » His verbis docet Augustinus animi manifestationem, quoniam loquela hominum generi non fuit nisi ad mutuam fidem efficiendam indita, non posse vel semel perverti, quin minuatur hoc fidei bonum omnibus necessarium; et sic injuria fiat, etsi non privato, certo tamen ac primario juri opposita. Rem in libro *de Mendacio* vel *contra Mendacium* stylo tantum libavit; sed alibi hominem bene agnovit, ideo ad homines loquentem, ut credatur, etiam *iniquitatis* esse reum ubi loquendo eamdem alteri fidem non servat, quam sibi reposcit (2). — Verumtamen posteriorem hanc mendacii malitiam Augustinus, in libris qui *de Men-*

tibus, qui, pro natura sui corporis affecti, non aliud quam suas affectiones praesidenti animo nuntiant : sed *peccata animas fallunt*, cum verum quaerunt, relicta et neglecta veritate. Nam quoniam opera magis quam artificem artemque conquirant et, cum invenire nequiverint (Deus enim non corporalibus sensibus subjacet sed ipsi menti supereminet), ipsa opera existimant esse et artem et artificem. » (*De Vera Relig.*, cap. XXXVI.)

(1) *De Mendacio*, cap. III.

(2) « Omnis qui mentitur iniquitatem facit... Nemo enim mentiens in eo quod mentitur servat fidem. Nam hoc utique vult ut qui mentitur fidem sibi habeat, quam tamen ei mentiendo non servat. Omnis autem fidei violator iniquus est. » (*De doctrina Christiana*, lib. I, cap. XXXVI.)

dacio vel *contra Mendacium* inscribuntur, nullo opere attendit; in aliis vero libris vix plura invenimus. Religionis enim causam in primis agebat; caeteraque negotia, quae ad Deum vel ad ipsum animum non spectant, nullo suo labore dignatus est.

Praeter ea, virum tam perspicacem fugere non poterat in hac de veriloquio quaestione, non tantum fidei rationem habendam, qua homo expressa voluntate hominem fallere vetatur, sed etiam prudentiae, quae satis intentos nos efficit, ne mendacium primum nobismetipsis quasi ingeramus, segnius scilicet cogitando et citius loquendo de rebus incertis vel difficilioribus, et sic certitudo nostra caeteros deinde fallat. Tunc enim, ut putat Augustinus, de mendacio quidem excusamur; neque tamen turpi temeritatis vitio caremus (1).

Ut tandem simul agnoscas quidquid mendacii nomine veniat, veritatis faciem quasi integram Augustinus ante oculos statuit; sapienterque ostendit eam dupliciter fore homini amplectendam : scilicet, ut sit primum ipse veridicus, deinde, ut caeteris fidelis efficiatur. — Duo quidem in homine requiruntur, ut veridicus probetur : 1° ut sapienter sibi consulat ne « incognitum pro cognito habeatur »; 2° ut fortiter animum custodiat ne per ignaviam aut aliquam malam cupidinem voluntas fallendi sibi obrepat (2). — Veri-

(1) « Inter credere autem atque opinari hoc distat, quod aliquando ille qui credit sentit se ignorare quod credit, quamvis de re quam se ignorare novit omnino dubitet. Quisquis autem hoc enuntiat... non mentitur... ; nec ideo tamen in nullo vitio est, si aut non credenda credit, aut quod ignorat nosse se putat. Incognitum enim habet pro cognito. » (*De Mendacio*, cap. III.)

(2) *De Mendacio*, cap. IV.

dicus autem homo « fidelis » nunquam non erit; namque caeteris conversando : 1° fidem sponte facit, sola testimonii sui auctoritate ; 2° ipse fidem sponte habet, verum utique appetens et quasi aperta mente ex omnium ore accipiens. Haec igitur quatuor quaedam sunt momenta, quibus hominem tantum carere experimur, quantum ipse mentitur (1).

II. — Quamvis Augustinus bene animadverterit mendacium aliquam esse propriae mentis corruptionem et alienae fidei injuriam, altiorem etiam istius mali rationem prospexit : neque omnino intelliges viri de ea re sententiam, nisi didiceris qualiter ipse huic quaestioni primum intenderit « quid sit malum ». Sed interea, quam proxima Platoni Augustinus sic intenderit, nemo non perspiciet. — Omnia in tantum esse bona praedixit in quantum « sunt » (2) : sed quaecumque mutantur, quoniam ab esse ad non esse semper transeunt (3), non ex integro neque in se bona aut vera esse reputavit, nobis autem dixit assurgendum esse ex omnibus, quae *fieri* vel *accidere* in isto mundo experimur, ad aliquid quod neque fieri, neque accidere, sed tantum *esse* dicitur. Hoc igitur pacto Deus est *id quod est* et *id quo omnia sunt vera, omnia, bona* (4). — Quod ubi animo ratum Augustinus habuit, pronum erat de Mendacio haec duo renuntiare : 1° mendacium, non tantum

(1) « Et tamen, si quisquam proponeret sibi sic amandam veritatem, non tantum quae in contemplando est, sed etiam in vero enuntiando..., ut suis omnibus rebus praeponeret..., amaret perfectam fidem : non solum bene credendi ea quae sibi dicerentur, sed etiam fideliter enuntiandi quae ipse dicenda judicaret. » (*De Mendacio*, cap. xx.)

(2) *Confess.*, lib. VII, cap. xii.

(3) *Ib.*, lib. XI, cap. vii.

(4) *Ib.*, lib. VII, cap. x-xii, xv.

morale quoddam vitium esse, quo offenditur ipse mentientis animus, sed etiam in objecto malum esse; 2° hoc peccatum, quoniam *id quod est*, in quantum mentientis est, destruit, unum ex iis haberi quae contra Deum faciunt et ex integro mala videntur. Veritas aut falsitas, ut putat, non potest rebus ipsis haerere de quibus aliquis forte mentitur; quidquid enim nostrae menti per sensus traditur ac deinde verbis ad caeteros homines renuntiatur, tam mutabile ac fortuitum existimat, quam ipsa praetereuntia verba, quorum ope inter nos colloquimur (1). Mentiendo igitur, non hanc rerum praesentium mutabilitatem offendimus, sed essentialem veritatem, quae cunctis rebus nec non ipsis hominum mentibus supereminet : qua etiam relicta, ad malum toti ruimus. Itaque, quicumque oris verbo contradicit verbo quod intus in mente nostra concipitur, contra Incommutabile hoc agit, quod « Deum » vocamus et, quantum in se est, tendit ad id quod omnino non est (2).

Cum vero tantam mali rationem habeat mendacium, qui libenti animo mentitur non effugiet divinum oraculum : « os quod mentitur occidit animam (3). » — At huc progrediens, cavere coepit Augustinus ne omnem prudentiae modum excederet ac, jure divino etiam in levioribus consuetudinis nostrae negotiis nimiopere exhibito, humanam conscientiam perturbaret : itaque, rem ex diversis locis comparantes, Augustinum animadvertimus non ad summum juris apicem omne mendacium insectari,

(1) *Confess.*, lib. IV, cap. XI.
(2) Cf. Plato, *Philèb.*, 16, c ; *Rép.*, 596, a.
(3) *Lib. sapientiae*, cap. I, v. 11.

tamquam omnino in Deum sit injuria. In libro quidem *contra Mendacium* hanc sententiam « os quod mentitur occidit animam » ea mente profert, ut ostendat mendacium nunquam honesta causa compensari posse (1) : in sermone autem *de Verbis Apostoli Jacobi*, cum iterum sacram sententiam ad litteram interpretaretur, declaravit hoc, non de puro ac simplici mendacio dictum esse, sed de mendacio quod fit cum juramento (2). Et sic ad certiora viroque illo digniora revocamur : animo enim hominis semel incussa divini nominis reverentia, quantum haec fides ipsa in exitium credenti verteretur, si mendacia ejus etiam minutissima tantae majestatis conscientia augerentur! Itaque, uti apprime signavit Augustinus, proprie peccat ore contra Deum, non qui mentitur homo, sed qui blasphemat aut pejerat. Quod utrumque solerter ipse distinxit hoc modo : qui blasphemat, quoniam falsa de Deo loquitur; qui pejerat, quoniam suae falsitatis testem adhibet, Deum exhonorat (3). Formale igitur nihil contra Deum intendit homo qui simpliciter mentitur; sed propriam cogitationem offendit et turpi contradictione exhonorat.

III. — Mendacio homines Augustinus intellexit cito citius assuescere : ideoque perfectam tanti peccati pervicaciam non ipsi homini, ad mala ac bona utique

(1) *De mendacio*, cap. XVI.

(2) « Fratres, nolite jurare : sed tu praesentem Deum ultorem putas, si ille qui te *juratione falsa* deceperit continuo exspiret. Si exspiret ante oculos tuos, exspiravit caro ipsius. Quid est « exspiravit caro ipsius »? spiritum quo vivificabatur ejecit. Hoc est « exspiravit », exclusit spiritum quo vivebat caro. « *Pejeravit* », exclusit spiritum quo vivebat anima. » (*De verb. Apost. Jac.*, sermo XXIX.)

(3) *Contra mendacium*, cap. XIX.

mediocri, sed diabolo addixit. Mendacium igitur docet nobis non ex propriis oriri sed ex aliqua falsitatis suggestione cui nascimur obnoxii. Voluntas quidem quam in nobis experimur, cum nihil omnino appetat nisi sub ratione boni, falsitatem in rebus haud principaliter affectat; sed bonum inprimis intendit, quod non alio pacto malum dicitur, nisi quia indebito ordine appetitur (1). In hoc tandem propria mendacii aut etiam cujusvis peccati ratio adspicitur, quod aliquis ab eo quod majus est ad id quod minus est recedit (2).

Quo statim audito, Augustinum quis dubitet mentem Stoïcis sic admovisse? aut, ut verius dicamus, commune aliquid dixisse cujus neque veteres neque recentiores philosophos expertes invenias (3)? Attamen (ne nobis ad nimium diversa sermo vehatur), Stoïci, uti jam signavimus (4), rationem mali nunquam extra hominum mentes adspexerant; et intimam pugnam, qua rationalis anima propriae rationi contradicit, tamquam universale quoddam mendacium reputaverant, quod ubi forte ostensum atque detectum erit, omnia simul hominum peccata praecavebuntur (5). Illud vero ipsum quod *rationale* atque totum homini insitum Stoïci dixerant, Augustinus *incom-*

(1) *Confess.*, lib. VII, cap. XI.

(2) « Unde non frustra dici potest omne peccatum esse mendacium. » (*De civit. Dei*, lib. XIV, cap. III et IV.)

(3) Apud recentiores, Cartesium audimus dicentem : « Omnis peccans est ignorans » (epist. XLV, p. 126; epist. XLVII, p. 146). At si hoc etiam attendas ab eodem perhibitum : « Nous nous trompons en tant que nous faisons un mauvais usage de notre libre arbitre » (*Médit.*, IV, 11); ipsam Augustini sententiam fateberis Cartesii mentem subiisse.

(4) Cf. supra, p. 6, 7.

(5) Ib., ib.

mutabile vocabat et in Deo, tamquam in aliquo objecto « super caput » exhibito (1), reponebat, ad quem omnis essendi causa et veritatis ratio utique contrahitur. Itaque nihil illi antiquius fuit quam omnem motum voluntatis esse perversum, quo addicimus nosmetipsos alicui bono quod Deo minus est (2).

Quandoquidem a Deo totus recedere homo non potest, sola ipsaque falsitate delectari proprium esse putavit alicujus voluntatis quae multo supra homines ad malitiam pollere credebatur. Diabolus quippe omnis Deo statuitur in adversum, contra *id quod est* semper nitens, nihil aliud agens quam ut bonum omne corrumpatur et omne verum obscuretur. Multa hic non refert dicere de ista traditione, quam Augustinus, sive a Manichaeis, sive a Catholicis acceperat, multo antea vigentem : sed de hac tenendum modo nobis est quantulum satis erit ad discendum quali animi perversione Augustino videatur homo mentiri.

Initio exstitit spiritalis creatura, cognitione tam felix ut vix dici possit quam paulo infra Deum staret : sed, quantum cognitione potuit, tantum voluntate peccavit, ipsi Deo scilicet obsistendo (3). In aeternum igitur factus est *diabolus,* cujus natura est ut, non per errorem (nunquam enim perfectissima cognitione sua exspoliatur), sed per mendacium omnia corrumpat (4).

(1) *Confess.*, lib. X, cap. VII.

(2) « Item dixisti mihi, Domine, voce forti in aurem interiorem... quod hoc solum a te non est quod non est et motus voluntatis a te, qui es, ad id quod minus est, quia talis motus delictum atque peccatum est. » (*Confess.*, lib. VII, cap. XI.)

(3) *De Genesi ad litt.*, lib. XI, cap. XXII.

(4) *Ib.*, ib.

Itaque diabolus « *mendacii pater* » dicitur et, propter eminentissimam libertatem, a seipso mendax est : « *quomodo etiam Deus Pater genuit Filium Veri-* « *tatem, sic diabolus lapsus genuit quasi Filium* « *Mendacium* (1). » — Homo autem, quanto infirmior intellectu, tanto errore excusabilior invenitur, quando mentitur : neque ipse, ut traditur, a genuina rectitudine prius recessit, quam a diabolo tentatus atque corruptus fuerit. Quod de peccato originali figmentum Augustinus, nedum per allegoriam acciperet, ad litteram, nullo utique verbo remisso, interpretatus est (2).

Mentitur ergo homo, non ipsa mentiendi voluntate, sed quadam ipsius volendi infirmitate : aut si quemquam mentientem adducis qui tam potenter sit malus, ut ipsa veritatem offucandi voluptate et nitidarum sententiarum odio nitatur, hunc dicit Augustinus a genere humano alienum et ex eorum numero exsistere ad quos a Christo dictum est : « vos ex patre diabolo estis (3). »

IV. — Sapienter arbitratur Augustinus veritatem unam esse illarum rerum, sicut vitam, quae hoc modo odio habentur, ut tamen simul amentur ; aut forte ipsam hoc sibi proprium omnino habere ut nunquam ex

(1) *Expositio in Evang. Joan.*, oper. t. IX, p. 129. B, 2 et seq.

(2) « A Deo non est permissus tentare feminam nisi per serpentem, nec virum, nisi per feminam : sed ipse in serpente locutus est, utens eo velut organo movensque ejus naturam eo modo quo ille movere, et moveri illa, potuit ad exprimendos verborum sonos et signa corporalia, per quae mulier suadentis intelligeret voluntatem. » (*De Gen. ad litter.*, lib. XI, cap. XXIII.)

(3) *Evang. Joan.*, c. VIII, v. 44. — « Unde ergo, ait Augustinus, Judaei filii diaboli? Imitando, non nascendo... Saevitis in carnem, quia non potestis in mentem... Diabolus homicida erat ab initio... Occidit Adam et in veritate non stetit. » (*Tract. XLII in evang. Joan.*, oper. t. IX, p. 129.)

animo contemnatur. Cum enim alicujus hominis studia ad rem indebitam, aut indebito potius modo, referuntur, qua feliciorem sese exspectat quam ratione, tunc juris a se omissi conscientia misere ille torquetur; et sic accidit quod veritas odium pariat. At odium illud insolentissimum nihil videtur esse, nisi grave quoddam desiderium, quod ea res, per quam sensus proprius mulcetur, non sit in se bona; vel quod, uti sensibus nunc breviter placet, ita aeterna rationis lege non probetur. Quantum, credisne, optaret homo ille hoc ipsum verum esse et incommutabile, quod quasi furtim amat! quantum intra se queritur in seipso divisum ita esse, ut, sive fruendo sive sapiendo, contra alterutram sui partem semper pugnet! Natura igitur insitus veritatis amor odium in homine mentiente (seu qualiacumque mala agente) accendit; nec non, isto crescente odio, ipse amor usque superat (1).

Hujusmodi argumento Augustinus suam de mendacio doctrinam callide muniendam curavit : quemcumque enim sibi adversarium experitur, docentem scilicet « mendacium aliquando licere », magnum illi Veritatis nomen ostendit; contra Veritatem dicit quaestionem non posse moveri, sed insidias tantum parari. Quo enim pacto mendacium *docere* quis posset? Namque discipuli per fidem *docibiles* efficiuntur : neque magistri *docere* prius possunt, quam omnem de medio abstulerint haesitationem, animum nempe pandendo totumque veracem et quasi aliis perlucidum

(1) « Veritas odium parit... quia sic amatur Veritas, ut quicumque aliud amant hoc quod amant velint esse veritatem ; et, quia falli nolunt, nolunt convinci quod falsi sint. Itaque propter eam rem oderunt Veritatem, quam pro Veritate amant ». (*Confess.*, lib. X, cap. XXIII.)

exhibendo (1). Qua igitur lege, videtur de caeteris quaestionibus doctrinam, qualemcumque vir perspicax forte assumpserit, posse defendi; mendacii vero doctrinam nullam veri similitudinem obtinere, sed per sola mendacia adstrui posse. — Hac arte enixus, cum ad Hieronymum scriberet ac tanti viri auctoritati parceret, praecipua Veritatis jura Augustinus ostentabat, libertatemque suam excusabat, quasi diceret : « Esto quod, te sapiente, ego fallar Apostolum a mendacio defendens; sed eo minus in culpam incidi, quod per errorem meum veritas ipsa defenditur (2). » Veritatis autem nomine quid uterque sic agitaverit deinde expensuri sumus.

(1) « Hoc scio quod etiam qui docet oportere mentiri verum docere se vult videri. » (*Contra Mendacium*, cap. XVIII.)

(2) *Epist. Aug. ad Hier.*, VIII, cap. III.

CAPUT SECUNDUM

DE OCTO MENDACII GENERIBUS

I. — Mendacium per se unum atque idem semper exhibetur : etenim verborum significatio, excluso medio, vel mentem sinceram refert, vel eam aliqua mutatione adulterat. Si vero ad minorem majoremve mentientis pervicaciam attendas, qua forte multis anfractibus falsitatem suam intricare aut coram interpellante atrociter sustinere audeat, culpa quidem sic augetur, specie autem non fit diversa. Quemadmodum enim hominis actus speciem suam ex objecto sortiuntur, quod ipse practice intendit, mendacium eatenus mutatur, qua verborum significatio ad res diversas exseritur : non eodem quippe voluntatis opere laudamus, docemus, jocamur, excusamus, jubemus, oramus ; et, quoniam tale peccatum est, quale volitum, mendacia per ipsam rem discriminantur quam mentiendo quisque affectat.

Atqui Augustinus octo mendacii genera hac lege designavit, in quibus agnoscendis paululum immorabimur (1).

Ordine primum illud reponit quod, praeter falsitatem, damnum spirituale aliis affert, quo magis exitiale

(1) *De Mendacio*, cap. XIV et XXI.

nihil utique exhibetur; secundum illud, quod cum aliquo temporali damno efficitur; at (ut caetera nunc omittamus), quandoquidem postremo loco quoddam mendacii genus Augustinus designat, quod, non solum absque injuria, sed necessarii etiam officii causa admittitur, tanquam purum ac verum mendacium assumendum hoc genus est, quod medio loco reponitur (1). Ibi enim neque aliena iniquitas adest, neque ulla compensationis causa habetur, sed sola ac propria mendacii malitia attenditur, quam Augustinus hoc verbo ostendit : « Mendacium est quod *mendaces* homines efficit (2). » Namque « mentientem » dicit hominem qui mentitur invitus, seu principaliter in animo habet, non mentiri, sed alicui nocere vel proficere : « Mendax » vero, ut ait, « amat mentiri atque habitat animo in delectatione mentiendi (3). »

Nec dicas Augustinum sic tollere quod prius statuerat : esse videlicet in ipso mendacio malitiam omni damno majorem. Maturius enim re attenta, non invenitur Augustinus *mendaces* tam indigne insectatus quam si ipsa fallendi voluptate delectarentur. — Duobus modis, seu duplici causa, hominem dicit *mendacem* evadere : aliis quidem mentiri libet, nihil amplius cogitantibus quam caeteros arte sua falsos experiri (4); alii vero placere volunt et « suaves fieri in sermonibus suis », ad quod ubi veritatis efficacia non satis conducere videtur, falsa veris miscere non timent (5). Verumtamen certo certius est in hoc posteriore nego-

(1) *De Mendacio*, cap. XIV et XXI.
(2) *Ib.*, cap. XI.
(3) *Ib.*, ib.
(4) *Ib.*, ib.
(5) *Ib.*, ib.

tio hominem aliud appetere quam ipsam rerum falsitatem; nam Augustinus ipse fatetur eum ita mentiri, ut tamen « veris mallet placere » (1) : prius autem mendacium hominis nihil utique cogitantis, praeterquam caeteros apte ac scite fallere, quid sit non intelligo, nisi ad *mendacium jocosum* revocetur. — Atqui de isto jocandi more Augustinus jam praedicaverat : « nunquam joci mendacia reputantur (2). » Sibine igitur ipse nunc adversatur?... Re autem proprius attenta, videtur Augustinus ab illo jocorum genere, quod absque culpa fiat, adeo fallendi voluntatem removisse, quod simul jocus omnis tollatur et quaestio ipsa abrogetur. Duas enim conditiones quandoquidem requirit ad joci honestatem, nempe ut ex « evidentissima pronuntiatione » verum sub falso pelluceat, et « jocantis affectus sit ad aliquam veritatem principaliter significandam », quid amplius in hujusmodi jocis placeat nescio (3); nisi hoc nomine pulchre fictas fabellas audias, quarum opere optima quaedam praecepta pueri docentur? Sed de his deinde sermo nobis aderit (4).

II. — Multo jam majoris operae pretium est, illud mendacii genus agnoscere, quod Augustinus adeo mente refugiebat, ut calumniantibus etiam mitesceret, prae istiusmodi mentientibus. « Capitale mendacium » illud est quod fit « in doctrina religionis (5) » : huic totis

(1) *De Mendacio*, cap. XI.
(2) *Ib.*, cap. II.
(3) « Habent enim haec mendacia evidentissimam ex pronuntiatione atque ipso jocantis affectu significationem animi nequaquam fallentis. » (*De Mendacio*, cap. II.)
(4) Cf. caput V, infra, p. 68.
(5) *De Mendacio*, cap. XIV.

viribus adversatur Augustinus, hominem arbitratus nulla sceleris conscientia atrocius obstringi posse. Suam vero sententiam hoc momento adstruit : « Tanto nocentiorem esse illum qui mentitur, quanto fit miserior mentienti credens (1). » Jamvero ab ipso Augustino didicimus hominem sola Veritate beatum effici (2) : unde liquet hominem ad exitium certe perduci, quem essentiali veritatis jure (si quod tale habeatur) exspoliatum esse noveris. Atque sic omnis quaestio in hanc recidit : utrum aliquod existat enuntiabilium vel cogitabilium corpus, de quo mens nostra vivere et supra rerum mutabilium sortem stabiliri dicatur. Postquam enim aliqua doctrina usque adeo probata nobis erit, invicta Veritatis jura sola habebit; ipsam a pervicacia mentientium etiam vi custodire, lex erit.

Verumtamen tanti ingenii virum, quamvis catholicae doctrinae addictissimum, non fugiebat veritatem etiam a Christo divinitus praedicatam, sic hominum animos non cogere, ut oculos solis splendorem, cui nulla arte aut voluntate resistitur (3) : ideoque, cum jam adversus haereticorum mendacia omnem indignantis animi vim conferret, sapienter Veritatem reservavit utique essentialem, quam appetere natus omnis intellectus creditur, cui etiam postquam cogitatione haeserit, homo tandem in beatitudine manebit. Haec incommutabilis Veritas non est nostrae consuetudini apta; et, quemadmodum omnem laborem nostrum superat, sic nullo modo potest per mendacium violari; « sed neque ad eam pervenire atque in illa omni-

(1) *Contra Mendacium*, cap. III.

(2) « Beata quippe vita est gaudium de Veritate. » (*Confess.*, lib. X, cap. XXIII.)

(3) *De Mendacio*, cap. X; cf. *ib.*, cap. VIII.

modo manere atque penitus inhaerere non licebit, nisi cum corruptibile hoc induerit incorruptionem et mortale hoc induerit immortalitatem (1) ».

Neque eo tamen pacto Augustini contra haereticorum mendacia indignatio mitescit, aut sacrae doctrinae studium sic frangitur : haec enim « verborum humanorum » et « corporeorum signaculorum » adminicula (2), quibus terrestris nostra Religio constat, quamvis tam inconcussum firmamentum non habeant quam nobis compertum est, verbi gratia, « quod tria et septem sunt decem (3) », animos tamen hominum manifesto elevant et optimo sanctitatis studio excolere videntur (4). Itaque Doctrina arctissimam ad ipsam Veritatem, quae in coelis manet, habitudinem accipit ; homines etiam, ubi tali auxilio privantur, a suo fine, ut putat Augustinus, prorsus deficiunt (5). Nobis enim in hac vita solum relinquitur Veritatis absentis desiderium : quod nihil utique est, praeter bonam voluntatem, quam Augustinus vocat « pietatem », nec non « animi castitatem (6). » Nulla tandem alia exhibitione animos putat melius foveri ac doceri, quam illorum verborum

(1) *De Mendacio*, cap. XIX.

(2) « Veritas autem Doctrinae, Religionis atque Pietatis, non nisi mendacio violatur, cum ipsa summa atque intima Veritas, cujus est ista Doctrina, nullo modo possit violari... Sed quia omnis in hac vita pietas exercitatio est, qua in illam tenditur ; cui exercitationi ducatum praebet ista doctrina, quae humanis verbis et corporeorum sacramentorum signaculis ipsam insinuat atque intimat Veritatem : propterea et haec, quae per mendacium corrumpi potest, maxime incorrupta servanda est. » (*De Mendacio*, cap. XIX.)

(3) *Confess.*, lib. VI, cap. IV.

(4) *De Mendacio*, cap. XIX.

(5) *Ib.*, ib.

(6) *Ib.*, ib.

atque signorum, quibus ipse Deus mystice praesentitur : ac, si quid in hac « animi castitate » fuerit violatum, hominem arbitratur nihil praeter ea habere unde reparetur, ipsum vero, iis neglectis, omnem in pejus ruere (1).

Quam necessarium Augustino videretur mysticum illud « doctrinae » adjumentum, ex quadam collatione didicimus, quam ipse inter errorem ac mendacium in libro « Enchiridionis ad Laurentium » instituit. Namque, « sola dicentis intentione spectata », errore pejus esse mendacium nulla quidem difficultate ostendit : « in ipsarum autem quae dicuntur consideratione rerum », dicit « longe tolerabilius esse in his quae religione sunt sejuncta mentiri, quam in iis, sine quorum fide vel notitia Deus coli non potest, falli (2). » Sed nos istiusmodi distinctio morari non potest. Non enim *errorem* ex utraque collationis parte adspicimus (quomodo enim Augustinus falsitatem nullius utique momenti, « quale est si quispiam vivere nuntiat aliquem mortuum (3) », vel uno instanti aequipararet tantae falsitati quae animas creditur « ad mortem ducere aeternam » ?) : itaque, quantumvis ipse dicat se « non intentionem sed res » adspicere, *moralis* utique existimatio, *non logica*, de duobus « malis » instituitur, quorum unum est « in errorem nullius momenti aliquem *inducere* » et alterum « in errorem

(1) « Corrupta enim auctoritate doctrinae, nullus aut cursus aut recursus esse ad animae castitatem potest. » — « Custodienda est autem in animi castitate, quod ad dilectionem proximi pertinet, innocentia et benevolentia ; ad Dei, pietas. » (*Ib.*, ib.)
(2) *Enchir. ad Laur.*, cap. XVIII.
(3) *Ib.*, ib.

circa Christum *induci* (1) ». Augustinus posterius hoc malum illo priore « majus » existimavit. Neque eum haec existimantem arbitramur a fide cecidisse, quam omnimodam ubique ostendit : hac enim sententia mendacio veniam non concessit aut homini potius mentiendum esse docuit, quam circa Christianam doctrinam errandum. Verumtamen, cum Religionis majestate in primis afficeretur, non satis agnovit perfectam hominis fidem, ab omni etiam enuntiabilium genere seclusam, bonorum omnium primum esse quibuscumque mentes honestantur nec non ipsi Deo propinquant.

Hujusmodi vero omissis, satius est animadvertere Augustinum mendacio plus minusve adversari, eodem fere ordine quo Veritatem ipsam in certa quaedam genera distinxerat. — Sed enim, uti apprime novimus, Veritatem quasi in se tripartitam adspexerat : primariam scilicet Veritatem vocat illud « incommutabile », quod anima « super caput » prospicit, nec uno quidem « mentis ictu (2) » intueri valet; huic proximam esse dicit Veritatem quae sacramentorum signis exhibetur, seu potius (quod deinde comprobabimus) involvitur (3); tertiam tandem assignat veritatem quae hominibus oritur per communem sensuum atque intel-

(1) « Si quispiam, dum mentitur, vivere nuntiat aliquem mortuum; et alius, dum fallitur, credat iterum Christum post quamlibet longa tempora moriturum, nonne illo modo mentiri, quam isto modo falli, incomparabiliter praestat; multoque minoris mali est in illum errorem aliquem inducere, quam in istum ab aliquo induci ? » (*Euch. ad Laur.*, cap. XVIII.)

(2) *Confess.*, libr. VII, cap. XVII.

(3) Cf. infra, cap. V. pp. 69 et 70.

lectus ministerium (1). Hoc autem postremo modo solidum ac verum nihil capessimus; at, quamvis certa Veritatis jura non offendat, in vitio tamen ille est qui rem aliter verbo profert quam sensibus ac mente percepit, quoniam seipsum contradictione infitiatur (2). — Qui igitur communi mendacio utitur, veritatem de propria mente rejicit; qui vero contra Doctrinam mentitur, Veritatem ipsam in Deo, tamquam in objecto, multo magis offendit.

III. — Infra capitale mendacium, quod fit in doctrina religionis, scelus eorum maxime insectatur Augustinus, qui nulla alia voluntate mentiuntur, quam ut hominibus noceant (3). Istiusmodi flagitium nullis quidem verbis explicat; humanitatis enim seu caritatis jura potius offendit, quam veritatis : hominem vero qui sic mentitur divinam iram non effugere magno rationum atque oraculorum pondere contendit (4).

Nec multum ab illa discedit iniquitas eorum qui homini mentiendo nocent, ut alteri faveant, cujus personam potiori honore seu amore acceperunt (5). Humanitas enim nullius utique nominis efficitur, dum certa rationis jura evertere quispiam audet propter incerta propriae voluntatis studia : hominum igitur sic mentientium aut calumniantium affectus, non dilectio, sed libido est.

Quarto et quinto loco Augustinus illud mendacii

(1) *De Mendacio*, cap. XII.

(2) » Facit certe contra aliquid verum quia, etsi falluntur sensus corporis, dicit aliquid ita esse, vel non ita, quod ei nec mens, nec sensus, nec opinatio sua fidesve renuntiat. » (*De Mendacio*, cap. XII.)

(3) *De Mendacio*, cap. XIV.

(4) *Ib.*, cap. VI, IX, XVI.

(5) *Ib.*, cap. XIV, XVI.

genus expendit quod (ut jam diximus) propter solum falsiloquium vituperatur (1).

Ubi vero ad caetera mendacia progredimur, quaestio nobis altera assurgit : duo enim contraria tunc in unum simul actum quasi contrahuntur, mendacii scilicet malitia et aliqua spes honestae utilitatis, per quam num possit falsiloquium compensari magna quaestio Augustino occurrit. Atqui hujusmodi mendacia, prout magis vel minus ab iniquitate recedunt, hoc ordine promit : sextum genus enuntiatur « quod nulli obest et prodest alicui (2) » ; septimum in sextum recidit, hac tantum exceptione adhibita quod, « si judex interrogat (3) », testimonium sit fideliter enuntiandum ; octavum perhibetur mendacium quod maxime omnium compensativo momento adstruitur, « ut nempe ab immunditia corporali aliquem tueamur (4) ». — Haec vero ex iis melius perspicientur quae modo dicturi sumus.

(1) *De Mendacio*, cap. XIV, XVI.
(2) *Ib.*, cap. XIV.
(3) *Ib.*, ib.
(4) *Ib.*, ib.

CAPUT TERTIUM

AN MENDACIUM SIT ALIQUANDO EXCUSANDUM

I. — Postquam a priori mente decreverat nunquam mentiendum esse, undique suboritur Augustino ambigendi materia : hujus enim praesentis vitae conditio multis implicatur negotiis quae, non utilitatis tantum, sed etiam juris specie Veritatem impedire et tamquam angustiis premere videntur (1). Quo enim animo doctorem susciperemus arroganter consulentem moriendum potius esse, quam innoxio mendacio utendum? Imo vero, quaedam dedecora videntur contra ipsam animi integritatem facere, quae a nobis per aliquam mentis simulationem forte avertantur : quis igitur vellet iis modis potius vilescere, quam mendacio? Itaque Augustinus non diffitetur hujusmodi contradictionibus multum se moveri (2) ; sermonem, ut videtur, aegre protrahit in diversas partes ; opinantium potius rationes refert, quam suam ipse sententiam

(1) « Qui natus est ex Deo non peccat. Haec enim nativitas si sola esset, nemo peccaret : et quando sola erit, nemo peccabit. Nunc autem adhuc trahimus quod corruptibiles nati sumus. » (*Contra Mendacium*, cap. XX.)

(2) « Verum, quia homines sumus et inter homines vivimus, fateorque me nondum esse in eorum numero quos compensativa peccata non turbant, saepe me in rebus humanis vincit sensus humanus, nec resistere valeo. » (*Contra Mendacium*, cap. XVIII.)

pandat (1). — Ad rem igitur enucleandam, quam nimis anfractuosa indagine tractavit, omnia eodem ordine revolvemus, quem ipse in enuntiandis diversis mendacii generibus servavit (2) : quo pacto jam quaeritur : 1° num liceat ad aliquem aut seipsum de gravi incommodo eximendum falsum testimonium dicere ; 2° an propter eamdem causam mentiri liceat ; 3° quaenam immunditia sit adeo exsecrabilis, ut mendacio potius cedendum credas, quam ipsam homini subeundam.

Primariam juramenti causam Augustinus recte animadvertit in eo esse, quod infirmitas nostra non satis valeat ad cor proprium aliis ostendendum : cui jam operi si sufficeremus, jurationi locus amplius non esset (3). Qui enim libens mentitur, cur jurantem tamen illum, putasne, recipimus? Hominis quidem mentientis communem arrogantiam timemus, quam saepe saepius experti sumus ; tantam vero vesaniam vix timemus quae totum hominem ita corrumpat, ut mendacium suum per omne nefas sustineat. Itaque, ubi magnum aliquod negotium agitur, cor alienum volumus altius scrutari ; juramentumque petimus, tamquam ipsum sic obtestantes : « Itane verum dicis ut omnium hominum pessimus effici velis, si non sit verum ? » Ad

(1) *De Mendacio*, cap. v-viii.

(2) *Ib.*, cap. xiv.

(3) « Ego autem dico vobis non jurare omnino. » (*Matth.*, v, v. 34.) « Nam et hic omnis juratio circumcisa est, sed ab ore cordis : ut nunquam voluntatis approbatione fieret, sed necessitate infirmitatis alterius, cui non aliter videtur persuaderi posse quod dicit, nisi jurando fides fiat : aut ab illo malo nostro quod hujus mortalitatis pellibus involuti cor nostrum non valemus ostendere : quod utique si valeremus, juratione opus non esset. » (*De Mendacio*, cap. xviii.)

rem Augustinus certum quoddam exemplum refert : mulieres videlicet, de quarum adulterio suspicio oritur, a viris ad jusjurandum saepe saepius provocari ; quod certe non fieret, nisi apud ipsas, omnis etiam juris oblitas, haec ultima juramenti ratio adhuc praevaleret, per quam nemo praesumitur praeter omnium hominum fidem libenter vivere (1).

Attamen Augustinus non videtur hac de juramento existimatione omnino stetisse; sed potius ad supremum Dei honorem illud retulit, quam ad jurantis personae dignitatem. Etenim injuriam in Deum per verba dupliciter fieri dicit : blasphemando scilicet ac pejerando ; priorem injuriam quidem arbitratur ipsi Deo adversari, tamquam de persona ejus sic detrahatur ; posteriorem vero, quamdam invocationem existimat, ideo nefariam quod falsitati nostrae verissimum Deum immisceat (2). Hac igitur distinctione enixus, majori odio blasphemos quam perjuros homines prosequitur.

Praeterea novum quiddam, antiquo jurejurando valde praestabilius, per hanc Augustini sententiam ostenditur. Quamvis enim Deum veteres etiam homines sibi testem adhibuerint, juramentum non videtur certam religionis vim prius habuisse, quam ipsa religio fidem in animis tantam obtinuerit, quantam ex libris Augustini, nec non ex integra horum temporum historia novimus. Nihil vero amplius sic dicimus, quam ipse M. Cicero nobis suggesserit, quem semel quidem audivimus testantem : « Est enim jusjurandum affir-

(1) *Contra Mendacium*, cap. XXI.

(2) « Ideo autem pejus est blasphemare quam pejerare, quoniam pejerando falsae rei adhibetur testis Deus ; blasphemando autem de ipso falsa dicuntur. » (*Contra Mendacium*, cap. XIX.)

matio religiosa (1) », eodem autem libro hanc rem sic interpretantem : « Cum vero jurato sententia dicenda sit, meminerit deum se adhibere testem, *id est, ut ego arbitror, mentem suam*, quia nihil homini dedit deus ipse divinius (2). » Infirmiora enim de Deo veteres sentiebant, quam ut ipsum sibi vivum testem advocarent, cujus etiam incommutabili veritate propriam fidem fulcirent. Huic negotio ea sola Sapientia potuit sufficere quam noster Augustinus in libro *de Mendacio* exhibuit. Animus scilicet, quo nobis, aiente Cicerone, « nihil dedit deus ipse divinius », inani religionis nomine antea fallebatur; sed ubi *vivam Dei essentiam* supra se primum agnovit, tanto se ipso meliorem « quanto ipse corpore praestat (3) », atque confidit illi se per fidem ac sacramenta misceri, homines jam tunc per Deum, tamquam per Veritatem, jurare coeperunt.

Verumtamen (adeo optima quaeque ad mala etiam convertuntur !), dum juramentum credebatur vim propriam in aliquo objecto habere, neque omnino intra ipsius jurantis mentem suos effectus sortiri, aliqua subtilis fictio audiebatur, quam Augustinus nobis indicavit, nec non a Catholicis avertere magnopere intendit (4). Illi enim, quemadmodum pro ipsius Dei gloria blasphemare absque peccato confiderant, ea tantum lege quod de corde suo blasphemiam praeciderent, ita ad capiendos Priscillianistas falso etiam jura-

(1) *De Offic.*, lib. III, cap. XXIX, 104.
(2) *Ib.*, cap. X, 44.
(3) *De Mendacio*, cap. VII.
(4) Cf. Introd. supra, p. 3.

mento nitebantur (1) : neque contra religionem hoc a se fieri dicebant, utpote qui vehementi quadam mentis intentione nomen Dei procul a se removerent, quod verbis tantum atque optima religionis causa usurpabatur (2). Magna quidem animi simultate Augustinus hanc versutiam insectatus est; nihil vero amplius hoc loco contendit quam supra, cum mendacium prohiberet « quod fit in doctrina pietatis » : re enim vera per istiusmodi restrictiones divino honori non satis parci queritur, fidem vero humanam minus curat atrocius sic contemptam (3).

Augustinum alio loco invenimus « falsum testimonium » commemorantem et mitioribus utique verbis profligantem, quam cum perjurantium flagitia argueret. — Quorumdam opinionem refert, qui dixerant mendacium quidem nunquam licere, hominem vero de falso testimonio tunc excusari, cum testis a quopiam adhibetur, ad quem res non pertinet de qua sciscitari ille praesumpsit (4). Ipse vero suam de re sententiam non aperuit : falsum testimonium eis omnino prohiberi dixit, qui pro certo habeant hominem per « testimonium » veritati strictius adstrictum jam manere, illis autem qui forte disceptent, inquirendum modo esse utrum aliquando mentiri liceat (5). —

(1) *Contra Mendacium*, cap. v, vi.
(2) *Ib.*, cap. xix.
(3) *Ib.*, cap. v, vi.
(4) *De Mendacio*, cap. xvii.
(5) « Salvo igitur eo quod falsum testimonium dicere nunquam licet, quaeritur utrum liceat aliquando mentiri? Aut, si *falsum testimonium est omne mendacium*, videndum est utrum admittat compensationem, ut dicatur vitandi majoris peccati gratia. » (*De Mendacio*, cap. xviii.)

Neque hoc, fateor, intelligere ego valeam, nisi credam iis temporibus testimonium per solam legis vim solemne exstitisse; et significationem quamdam sortitum esse, communi quidem sermone majorem, enuntiationibus vero minorem quae suprema Dei hominumque fide nituntur (1). — Idem etiam ostenditur per disceptationem quam paulo supra Augustinus instituerat, de prodendo vel non prodendo homine qui ad judicium forte reposcitur : multis enim tunc ambagibus docet omnem testimonii solemnitatem pendere ex auctoritate sciscitantis personae diversamque exhiberi, prout « ipse judex » interrogat, aut « legis exsecutor », aut « ipse legis conditor (2) ».

Quibus tandem expensis, exiguo tantum intervallo sextum mendacii genus ab illo removeri videtur, quod Augustinus ita distinxit, « excepto si judex interrogat », nec non septimum ordine posuit (3). Quanto autem majori vituperamine falsum testimonium insectaretur, si per aliquam Dei contumeliam fieret! Tunc enim, non inter mendacia computaretur quae nullam efficiunt injuriam, sed eodem odio refutaretur quod contra Deum impie coeptis modo competit.

II. — Nunc vero, excluso omni perjurio, altera quaestio objicitur : quid sit homini justo ac bono agendum, in hoc rerum articulo posito ut, si velit mentiri, alterum quemvis vel seipsum ab atrociori quadam calamitate immunem efficiat? Et sane animadvertendum est, non religionem tantum, sed et justitiam in tuto

(1) Historice constat testimonii judicialis solemnitatem hoc aevo nondum signis sacris constitisse quae medio jam aevo adhiberi novimus.

(2) *De Mendacio*, cap. XIII.

(3) *Ib.*, cap. XIV.

antea repositam esse, quam praesens disceptatio instituatur : certa enim injuria apud quemlibet boni nominis virum maximo etiam bono compensari non putatur (1). Nudae igitur ac purae veritatis jura hic aguntur, non ejus scilicet quae « incommutabili quodam lumine » mentes illustrat, sed quae jacet in ipsa rei vel facti enuntiatione et hominem sibi concordem efficit.

Quandoquidem Augustinus nullam quaestionem existimabat absque sacrorum librorum testimonio esse solvendam (2), multis hujusmodi oraculis sermonem suum adstruxit : verba tamen divinae scripturae in alterutrum sensum magnopere versavit, eorum scilicet qui dicunt omne prorsus mendacium prohiberi et illorum quibus aliquae causae videntur mendacii compensativae (3). Hujusmodi vero omissis, ea tantum quaerimus quae per rationem sensumque communem Augustinus exseruit.

Nobis equidem videtur nullo labore eorum sententiam refellere, qui docent mentiendum tunc esse, cum sic possumus aliorum peccata cavere. Nihil enim tam proprium homini est, quam ea quae ipse bene egerit, vel male ; neque alieni peccati quisquam particeps ideo efficitur, quod per suam iniquitatem, vel leviorem, non impedivit (4). — Excepto igitur alieni peccati consortio, ea nunc objicitur mentiendi causa, quae sola benevolentia nititur : et Augustinus hic jam anxius efficitur, ubi gravis damni aut etiam

(1) *De Mendacio*, cap. XII.

(2) « Si enim ipsae (scripturae) nullum dant locum, frustra quaerimus qua exeamus. » (*De Mendacio*, cap. XV.)

(3) *De Mendacio*, cap. XIV.

(4) *Ib.*, cap. IX.

mortis periculum homini videtur adesse, quod per nostrum mendacium abesse poterit. Etenim virum aliquem animo sibi fingit summe aegrotantem, quem, si de suo modo interfecto filio certiorem faciat, statim moriturum esse noverit : sic igitur interrogatus, ut vel fallere, vel occidere hominem cogatur, Augustinus fatetur humano sensu multum se moveri et a proposito nunquam mentiendi propemodum avelli (1). Verumtamen humanitati non cedit; sed Veritatem ibi quasi in faciem fortiter intuitus, mystica quadam exhibitione eam sibi propius admovet et jam supra omnia mundi negotia, supra etiam hominum vitam, amabilem efficit (2).

Equidem ultro progressi, omnem indagavimus Augustini de mendacio doctrinam, ut nobis tandem compertum maneret, utrum de nimia sua austeritate nihil unquam remiserit. Atqui eum semel invenimus magnopere disceptantem de Hebraeis obstetricibus, quae per quoddam mendacium mares infantes de saevitia Ægyptiorum exemerant, nec non in Scriptura hoc modo laudantur : « Bene ergo fecit Deus obstetricibus : et crevit populus confortatusque est nimis. Et quia timuerunt obstetrices Deum aedificavit eis domos (3). » Itaque Augustinus, nec suam volens de mendacio sententiam moveri, nec libros sacros de aliqua temeri-

(1) *Contra Mendacium*, cap. XVIII.

(2) « Cum enim proposuero ante qualescumque oculos cordis mei intelligibilem illius pulchritudinem, de cujus falsi nihil ore procedit, quamvis, ubi radians magis magisque clarescit Veritas, ibi palpitans mea reverberatur infirmitas, tamen sic amore tanti decoris accendor, ut cuncta quae inde me revocant humana contemnam. » (*Contra Mendacium*, cap. XVIII.)

(3) *Lib. Exod.*, cap. I, v. 18, 19, 20, 21.

tate argui, subtilissima quadam interpretatione intra unam illarum feminarum actionem meritum simul ac peccatum concludit, humanitatis scilicet meritum mendaciique peccatum (1). — Compensativum igitur peccati bonum itane exhibetur? Diffitetur utique Augustinus (2) : sed, verba dum timet, rem ipsam, velit nolit, amplectitur, quam tantopere infitiatus antea fuerat. Quantavis enim cura « mentis benignitatem » separaverit a « mentientis iniquitate », quoniam « in uno tempore » atque « in una causa » dixit haec duo convenire, nec non mendacio illarum feminarum Deum « ignovisse *propter bonum* » quod huic mendacio adjacebat, quid ergo amplius desideratur ad peccatorum compensationem certo jure stabiliendam (3)? — Augustinus ideo suam ipse sibi non videtur mutavisse sententiam, quod occulto pectore aliquam externam Veritatis imaginem adspiciebat, cujus arbitrio Rationem ipsam aliquando superari credebat (4). Non enim

(1) *Contra Mendacium*, cap. XV-XVII.

(2) « Non est itaque in eis remunerata fallacia, sed benevolentia; benignitas mentis, non iniquitas mentientis. Sicut enim mirum absurdumque non esset, si alio prius tempore commissa ab eis aliqua opera mala Deus propter posteriora bona opera vellet ignoscere; ita mirandum non est quod uno tempore in una causa Deus utrumque conspiciens, id est, factum misericorditer factumque fallaciter, et bonum remuneravit et propter hoc bonum malum illud ignovit. » (*Contra Mendacium*, cap. XV.)

(3) *Ib.*, ib.

(4) « Hoc ex Augustini verbis sponte fluit. Ut quid enim non semper compensatio admittitur, nisi quia Deus non semper, sed suo utique arbitrio, utrumque, *uno tempore et in una causa conclusum*, tamquam separatum adspicit et unum ignoscit propter alterum? — Caeterum quid Augustinus senserit de praeceptivo seu divino jure prae morali etiam Rationis dictamine habendo, aliunde compertum nobis est. « Cum autem Deus, inquit, aliquid contra morem aut pactum quorumlibet populorum jubet, etsi

ex ipsis animi principiis sed, inducta sibi quadam personali veritate, hoc totum in Deum retulit quod *Fidem* vocamus : utque omnia putabat optimi maximi Dei voluntate, non humano rationis jure, inconcussa manere, ipsa mendacia ad supremum Dei arbitrium semel atque iterum excusanda remisit.

Excluso autem auctoritatis momento, ad sensum communem duo quaedam referre debemus, quibus Veritatem Augustinus invictam manere jussit.

1° Qualiscumque generis mendacium inter illa facta computatur quae, non ex operantis intentione, sed ipsius operis malitia vetantur. Sunt enim multa opera, quae per suas causas bona fieri, vel mala, possunt; ipsa vero natura *communia* dicuntur : quaedam autem, sicut furta, homicidia, contra juris rectitudinem ita faciunt, ut per nullam bonae voluntatis causam opprobrio suo careant (1). Atqui Augustinum hoc loco exspectabamus sibi consentanea dicturum : adducta enim definitione, qua mendacium dixerat « in sola

nunquam ibi factum est, faciendum est; etsi omissum, instaurandum; etsi institutum non erat, instituendum est. Si enim regi licet in civitate cui regnat jubere aliquid... quanto magis Deo!... Cum vero tu, Deus, aliquid repente inusitatum et improvisum imperas, etiamsi hoc aliquando vetuisti, quamvis causam imperii tui pro tempore occultes et quamvis contra pactum sit alicujus hominum societatis, quis dubitet esse faciendum? (*Confess.*, lib. III, cap. VIII, IX.) Huic similis exstitit Cartesii sententia; quippe qui divinam voluntatem arbitrabatur veritatis causam esse. (*Litter.*, XLVII, p. 134; XLVIII, p. 147; LXXI, p. 303, éd. Garnier.) Magnum tamen inter utramque sententiam discrimen adest : namque Augustinus Dei *imperio* omnia existimabat vera fieri (cf. infra p. 51); Cartesius autem negavit res a Deo jubente essentiam prius adipisci, quam ab ipso intelligente Deo veritatem sortiantur. (*Litter.*, XLV, p. 124; XLVIII, p. 148.)

(1) *Contra Mendacium*, cap. VII.

fallendi voluntate » consistere, multo etiam minus hoc flagitium excusaretur quam caetera : non enim dum ore falsiloquium elicitur, sed ubi primum intra mentem a mentiente imperatur mendacium, vere ipsum adest; peccatumque prius nominatur, quam excusabile per aliquam circumstantiam forte evadat. Verumtamen Augustini alteram de mendacio sententiam accipimus, quam equidem, nullo mutato verbo, promere juvat : « Quia et ipsum mentis imperium, cui debet omnis inferior motus hominis obedire, digno non carebit opprobrio, quando fit quod fieri non oportet, seu membro seu verbo; *quanquam, etiam cum verbo fit, membro fit :* quoniam lingua membrum est qua fit verbum... Non itaque animus a facto excusatur, quando dicitur aliquid non ex animo fieri, quod tamen non fieret, nisi animus faciendum esse decerneret... Si merito Deus punit eum qui feminae alicui Priscillianistarum turpitudinis consciae propterea se adulterino concubitu miscuit, ut ad eorum latebras perveniret : obsecro te... quid nos lingua, quid totum os nostrum, quid *organum vocis offendit*, ut haec exhibeamus arma peccato (1)? » Eloquium igitur *per ipsam linguam, tamquam « corporis membrum »*, numquid scelestum sic exsistit, ut homicidium per occidentium manus? Omnino ita esse arbitratur Augustinus : neque de hoc verbis contendimus, namque ulterius progredi vetamur quam ipse rem explanaverit.

2° Non parum movetur Augustinus periculo quod statim oriretur, ut homines resciverint a magistris jurisque praeceptoribus aliquando mentiri licere (2). Nisi

(1) *Contra Mendacium*, cap. VII.
(2) *De Mendacio*, cap. XVIII; *Contra Mendacium*, cap. XIX.

enim inconcussum maneat illud rationis fastigium, in quo Veritas sentitur, tamquam *Jus* supremum, quod nullo jure vincitur, ille dixit non jam ex fide, sed ex sua cupiditate, homines mendacii dispensationem repetituros esse. « Amoris enim perversitas », ut ait, privata bona publicis, temporalia aeternis anteponit (1) : mores itaque arbitratur subverti, fidem omnino tolli posse, ubi Veritas *tanquam Deus* aut amari desierit, aut timeri.

III. — Denique occurrit caeteris omnibus major et, quasi dicam, « sanctior » mentiendi causa, qua mirum esset Augustinum a tenaci veritatis proposito vel paululum non moveri. — Praestat enim homo, non eo tantum honore qui « mentis integritas », aut « fides » vocatur, sed omnimoda personarum dignitate, quae « pudoris » etiam, « honestatis » et « famae » nominibus perhibetur. In nulla igitur quaestione tantopere Augustinus exercetur, quantopere in iis bonis expendendis quae, etsi a Veritate diversa existant, aequo tamen jure *summa*, nec unquam amittenda reputantur. Ubi enim homo deprehenditur in tanto discrimine positus, ut vel mentiri, vel istis modis immundus fieri cogatur, quisnam Veritatis tam strenuus defensor existat, qui totum dehonestari hominem ad mendacium excludendum jubeat?

Augustinus hoc loco « pudicitiae » nomine ea omnia amplectitur, quae dignitatis seu honoris causa aman-

(1) « Cum enim concesseris admittendum esse aliquod malum, ne aliud gravius admittatur, non ex regula veritatis, sed ex sua quisque cupiditate atque consuetudine metitur malum et id putat gravius, quod ipse amplius exhorrescit, non quod amplius revera fugiendum est. Hoc totum ab amoris perversitate gignitur vitium ». (*De Mendacio*, cap. XVIII.)

tur (1) : nec fama aut moribus perditam, sed « multum honorabilem » (2) personam inducit, de qua jam quaeritur utrum, « si stuprator irruat, qui possit mendacio vitari (3) », mentiendo peccet. Jamvero duobus momentis existimat pudicitiam pollere (qua etiam existimatione omnem sententiam suam adstruit), quorum unum in corpore et alterum in animo nobis adjacet, quorum etiam prius bona temporalia non excedit, sed tantum posterius (4). Omnem igitur difficultatem expeditam mox habet : mentientis enim animum quis dicat integrum remanere? libidine autem credimus animum illius corrumpi, qui alienam pudicitiam oppugnat, non vero cujus impugnatur (5).

In re quidem tam verecunda praedictam distinctionem haud omnino securam esse Augustinus alio loco animadvertit : amplius tamen audet, nec pudori de veritate cedit; imo vero, si quis timeat ne ipse animus (utpote qui sensibus tam proximus adjacet) libidine tangatur et magis quam mendacio corrumpatur, docet hominem a peccato propter veritatis desiderium liberari neque ab intimo honoris culmine interea dejici (6).

(1) *De Mendacio*, cap. IX.
(2) *Ib.*, ib.
(3) Injuria, quam « immunditiam » vocat, sic declaratur ab ipso Augustino : « At si fimo perfunditur homo, aut si tale aliquid per os infundatur, vel inculcetur, patiaturve muliebria, omnium fere sensus exhorret et conspurcatum atque immundum vocant. » (*Ib.*, ib.)
(4) *De Mendacio*, cap. VII.
(5) *Ib.*, cap. IX.
(6) « Agendum est quibus possumus viribus, cum violanda appetitur pudicitia corporis nostri, ne ipse animae sensus extremus, qui carne implicatus est, aliqua delectatione tangatur. Si

Nulla alia magis quam hujusmodi disputatione viri mentem introspicere est et fontem agnoscere, unde omnia propemodum prodiere, quotquot scripta nobis reliquit. Animus enim, ut putat, nulla ratione vivit, nullo honore praestat, quamdiu supra seipsum non elevatur ad Deum. Itaque prae omnibus quae mentem honestant bonis Doctrina habetur, per quam mystice Deo conjungimur (1); secundo tantum loco nominatur « animi castitas », cujus nomine (uti certo certius accepimus) qualescumque morales virtutes ipse nuncupavit (2); tertia tandem nominatur « pudicitia » (3). Quanto igitur corpore praecellit animus, ipsa Veritas animo praestantior est : quo jam pacto Augustinus, nedum veritatem extra mentem nullam remanere dixerit, supra id enixus, quodcumque Plato *Idearum* nomine exhibuerat, clamat : « Ita etiam Veritatem ipsi animo esse praeponendam, ut eam, non solum magis quam corpus, sed etiam magis quam seipsum appetat animus (4). »

Neque, ut putamus, cum dialectico ordine omnes etiam virtutes Plato ad quamdam Sapientiae arcem breviter reduceret (5), tantopere in Deum ille omnia

autem hoc non potest, vel mentis in non consentiendo castitas conservetur. » (*De Mendacio*, cap. XIX.)

(1) « Ista sunt autem quae sanctitatis causa servanda sunt : pudicitia corporis et castitas animae et veritas Doctrinae. » (*Ib.*, ib.)

(2) « Animi quippe castitas est in bona voluntate et sincera dilectione. » (*Ib.*, ib.)

(3) *Ib.*, ib.

(4) *Ib.*, cap. VIII.

(5) *Phéd.*, XIII, 69. a, b ; *Rép.*, IV, 427 et 445. c. Plato quidem dixerat omnia a Deo esse bona, per essentiam ipsius communicantis, Augustinus vero, per voluntatem jubentis. « Ὁμολογοῦμεν

retulit, quantopere Augustinum in hisce libris experimur. Quaecumque enim bona, quaecumque honesta hominibus videntur, nullo alio jure ea talia esse arbitratur, nisi quia a Veritate « *jubentur* (1) ». Quod sibi ita persuasum habuit, ut, si Veritas his contraria juberet, omnia statim crederet, inverso prorsus jure, de bono in malum, nec non de malo in bonum converti. Imo vero, id ipsum fortiter credere, ab Augustino existimatur « sapere »; hoc, nedum ratio vereatur, sola hominum imbecillitas infitiatur (2).

Dum haec scriberet, incautum non credas Augustinum remansisse quantum a sensu communi sic recederet. Plerique enim, etiam boni nominis viri, sinceritatem eatenus diligunt, qua videtur necessaria ad fidem omnino apud homines servandam, nihil omnino cogitantes de aliena quadam in se ipsa permanente Veritate. Itaque suam de Mendacio doctrinam Augustinus tamquam perfectis et Christiani tantum nominis viris propriam tradit : imo contradictionem eorum cavet qui sibi forte indignabuntur, tamquam insolenti quodam excessu Veritatem supra omnia naturae jura

τὸ μὲν ὅσιον διὰ τοῦτο φιλεῖσθαι, ὅτι ὅσιόν ἐστιν, ἀλλ' οὐ διότι φιλεῖται, ὅσιον εἶναι. » (*Eutyphr.*, XII, 10. e.) « Καὶ κινδυνεύεις, ὦ Εὐθύφρον, ἐρωτώμενος τὸ ὅσιον ὅ τί ποτ' ἐστὶ, τὴν μὲν οὐσίαν μοι αὐτοῦ οὐ βούλεσθαι δηλῶσαι, πάθος δέ τι περὶ αὐτοῦ λέγειν, ὅ τι πέπονθε τοῦτο τὸ ὅσιον, φιλεῖσθαι ὑπὸ πάντων τῶν θεῶν. » — (*Ib.*, XIII, 11. a.) — Audi nunc Augustinum : « Nulli esset amabilis castitas, si non eam praeciperet Veritas. » (*Contra Mendacium*, cap. XX.)

(1) *Contra Mendacium*, cap. XX.

(2) « Cur autem maechandum esse non jubet castitas, nisi quia hoc non docet veritas? Sed sicut oculi ad intuendum solem parum firmi, ea tamen quae a sole illustrantur libenter intuentur; sic animae jam valentes delectari pulchritudine castitatis, non tamen omnino per seipsam considerare veritatem, unde lucet castitas, possunt. » (*Contra Mendacium*, cap. XX.)

collocaverit (1). Attamen animo non frangitur; suos etiam hortatur ad « fortiter bibendam » Apostolorum hanc sententiam : « Aliis quidem sumus odor vitae in vitam, aliis odor mortis in mortem (2). »

(1) *De Mendacio*, cap. xx, xxi; *Contra Mendacium*, cap. xvi, xix.
(2) II *Ep. Cor.*, cap. ii, v. 16. — *De Mendacio*, cap. xxi.

CAPUT QUARTUM

DE SIMULATIONE

I. — Mendacium, ex vi nominis, tunc proprie adest, cum enuntiatur aliquid ab homine, quod ipse falsum scit, aut saltem opinatur : ubi vero de iis agitur, quae nullam communem certitudinem habent, sed proprio ac libero hominum arbitrio judicantur, enuntiatio quae fit contra proprium sensum « simulatio » potius nominatur. — Augustinus autem ea mente exstitit, ut talem distinctionem aegre acceptam ratamque haberet : pauca enim vel nulla in incerto manere patiebatur et hominum arbitrio relinqui. — Itaque, instituta in libro *contra Mendacium* inter Priscillianistas atque Catholicos contentione, horum et illorum simulationem quibusdam momentis expendit prorsus inusitatis. Haud enim eadem mente Catholicos reprehendit, cum se Priscillianistas fingerent, qua Priscillianistas, cum catholicam fidem verbis tantum profiterentur ; sed Catholicorum falsiloquium de pejori mendacio, aut etiam de blasphemia arguit, Priscillianistarum autem, de simplici mendacio (1). — Neque illis profuit quod

(1) « Itaque illi, quando nostri putari volunt, et falsum est ex parte et verum est ex parte quod dicunt. Falsum est enim eos nostros esse ; verum est autem animam partem Dei non esse.

propter defendendam Christi fidem ipsam verbis adulterarent : exemplum enim Petri (quod minime hoc loco exspectabatur) Augustinus refert (1) ; nullaque habita ratione muliebris ignaviae per quam Petrus Magistrum erubuerat, Catholicos dicit eo magis peccare quod, *sicut Petrus*, corde hanc fidem retineant, quam verbis offendunt (2). Itaque evangelicum effatum hoc loco adhibet, « quicumque me negaverit coram hominibus, negabo eum coram patre meo qui in coelis est » ; sed verbum *negaverit*, nullo quidem negantis affectu jam spectato, ita ad litteram refert, ut Priscillianistas, ore tantum Christum confitentes et corde negantes, minus vituperet, quam Catholicos, sola haereticos inveniendi voluntate mentientes nihilque interea de Christiana fide intus abnuentes. Priscillianistae, ut ipse notavit, hoc quidem fingendo probabant, quod animo suo tamquam falsum reprobaverant ; ex adverso autem, Catholici fingendo reprobabant quod animo suo tamquam verum probaverant : at illorum tamen simulatio major, ut videtur, exstitit, qui omnino mentiebantur *ut laterent*, quam eorum, quorum falsiloquium fiebat ad tempus, non latendi sed haereticos inveniendi causa. Verumtamen, quamvis recta mente id ipsum conspexerit, utraque mendacia, non prout ad animorum integritatem spectabant, sed quatenus nomina Dei aut Christi verbis ipsis offendebant, vel non, Augustinus odio diverso insectatus est.

Ceterum Catholicos optimo honestatis jure docet, non ideo suam simulationem vitio carere, quod alienam

Nos vero, quando ad eos pertinere volumus, falsum est utrumque quod dicimus. » (*Contra Mendacium*, cap. v.)

(1) *Contra Mendacium*, cap. VI.

(2) *Ib.*, ib.

simulationem vincere proponerent. Sed enim Christi proverbium hoc loco refert : « Multi ad vos venient in vestitu ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces » (1) ; et pellibus lupinis vetat oves sordescere, ut adversarios felicius capiant; castam vero fortemque animi sinceritatem dictitat Christianos solummodo decere, cujus opere etiam melius ipsi custodiantur quam per artes quascumque malas (2). Sapientes enim, ut putat, hominem securius experiuntur ex iis quae sponte ipsoque habitu manifestantur, quam per callidam circa ipsum indaginem. Atque sic Augustinus totam rem conficit : « veritate sunt cavenda, veritate capienda, veritate occidenda sunt mendacia (3). »

II. — Ad simulationem etiam spectare nobis videtur quaedam de mentali restrictione sententia, quam Augustinus neque obsistendo neque consentiendo retulit (4). Cum enim de illo mendacii genere ageretur, cujus opere aliquis salvus evadere absque aliena injuria possit, animo cruciabatur atque ad humanitatem omnis inclinabatur : at Scripturarum timore statim in adversum vehebatur, ex quibus hoc oraculum profertur : « os quod mentitur occidit animam (5). » Interpretationem igitur nimis subtilem ab alio acceptam refert, vel ipse sibi fingit, quae omnino ad simulationem accedit. « Os » scilicet hominis ostendit ita « duplex » existere, ut uno quidem possit mentiri,

(1) *Matth.*, X, 33.

(2) « Non ait Christus : « et vos, ut eos inveniatis, assumite « vestitum luporum, intrinsecus autem oves manete » ; sed « ex « fructibus eorum cognoscetis eos. » (*Contra Mendacium*, cap. VI.)

(3) *Ib.*, ib.

(4) *De Mendacio*, cap. XV.

(5) *Ib.*, cap. XV-XXI.

altero autem, mendacium a se ipso removere : sed et hanc interpretationem ipsa Scriptura iterum commendare aggreditur (1). In sacris enim libris saepe « os » dicitur illud penetrale hominis receptaculum, in quo sibi prius res dicit, quam ad aliorum aures proferat : acute etiam causatur ad exemplum prodesse illud Christi proverbium, quo docemur hominem non cibo inquinari, quem materialiter ore suminus, sed iis tantum quae spiritualiter ore proferuntur, postquam corde male concepta fuerint (2). — Os igitur duplex eo pacto habetur, quod nunc temeraria quaedam dicimus praeter seriam mentis intentionem, nunc ab intimo nostra loquimur. Atqui, dummodo hujusmodi distinctio probetur, homo jubetur intra mentem suam praecidere omnem fallendi voluntatem, in hac conditione positus, ut non possit absque mendacio salvari : hac enim lege, non « ore cordis » mendacium jam efficitur, sed solo « corporis ore » ; itaque « non Deo mentimur », qui sinceram animi voluntatem respicit, hominem vero alloquimur, cujus non est corda hominum inspicere (3). Per Scripturam igitur Scripturarum timore solvimur.

III. — Quaestio etiam nunc adest, quam Augustinus tantopere agitavit, de Pauli Apostoli simulatione.

(1) « Plerumque enim Scriptura, cum « os » dicit, receptaculum ipsum cordis significat, ubi placet et decernitur quidquid etiam per vocem, cum verum loquimur, enuntiatur : ut corde mentiatur, cui placet mendacium, possit autem non corde mentiri, qui per vocem aliud quam est in animo ita profert, ut majoris mali evitandi causa malum se admittere noverit, cui tamen utrumque displiceat. » (*De Mendacio*, cap. xv.)

(2) « De corde exeunt homicidia etc. » (*Matth.* I, 16.) — Cf. *de Mendacio*, cap. xv.

(3) *Ib.*, cap. xvi.

Rem magnis ac multis ambagibus involutam breviter initio hujus nostri operis jam revolvimus (1) : nunc referre juvat qualia Augustinus excogitaverit, ut Apostolum ab omni dolo defenderet aut sacram Doctrinam saltem tueretur.

Paulum ea de causa potissimum excusatum habebat, quam Origenes ac deinde Hieronymus agitaverant, illum existimantes, non ex animo, sed per quamdam honestam fictionem de judaïco jure deserendo ad Galatas scripsisse (2). Res Augustino momenti videbatur eo majoris, quod Apostolus Galatis, non communibus, sed instantissimis verbis consuluisset, adhibita etiam juramenti sponsione. — Attamen, cum videretur ipse postea Judaeis obtemperavisse et Timothaeum discipulum ad circumcisionem coegisse, nihil amplius ex hac epistola certum relinquebatur, praeter quamdam causidicam orationem, cujusmodi a forensibus advocatis vulgo fieri novimus (3). Nihil Augustinus tantopere contendit, quantopere Apostolum ad Galatas ea mente scripsisse, ut ipsos doceret *non oportere* circumcidi; Timothaeum vero apud Lystram circumcidi ea mente jussisse, ut Judaeis concederet hoc ipsum *licere*, quamvis non oporteret (4); neque Petrum alio pacto a Paulo fuisse reprehensum : quippe qui, talem distinctionem non satis animadvertens, judaïco more vivere non solum Judaeos sineret, sed gentes etiam cogeret (5).

(1) Cf. Introd. supra, pp. 9-12.

(2) Cf. ib., ib.

(3) « Ego vero Apostolis non tam exemplum philosophorum timeo, quando et illi in sua disputatione veri aliquid dicunt, quam forensium advocatorum, quando in aliarum causarum actione mentiuntur. » (Epist. Aug., XIX, cap. II.)

(4) Epist. IX, cap. IV; epist. XIX, cap. II.

(5) Ib., ib.

Huic autem rationi Hieronymus adversarium fortiter se praebuit : sed et magna vi Augustinum reprehendit, quod nimio Pauli praedicantis studio praedicatam veritatem infitiaretur, imo, quod cum illis rem ageret qui olim, « dum vellent et Judaei esse et Christiani, nec Judaei erant, nec Christiani (1) ».

Suam igitur sententiam subtili argumentorum acumine iterum Augustinus defendit. Et enim Christi fides, ut putat, cum antiquo jure non sic pugnat, ut benefactum cum peccato (2) : itaque circumcisio et caetera hujusmodi, quamvis post Christum de jure cecidissent, *irrita* quidem, non vero *illicita* evaserant (3) ; Paulus etiam, nullo legis, nullo rationis momento obstante, ubi Judaeorum animos sibi conciliare intendit, his morem recte gessit; ubi gentilium, recte negavit (4). — At, cum per haec Apostolum sentiret ab haeresi quidem satis immunem fore, a simulatione vero minus defendi, aliarum etiam rationum adminiculo nititur : 1° patria quaedam jura esse illos judaïcos ritus, hic terrarum magno, illic nullo honore habenda ; et, quamvis mortua jam essent, non indigne respuenda, sed quodam pietatis desiderio ac « necessariorum officiis ad sepulturam deducenda (5) » ; 2° rationem veteris et quondam sacrae significationis habendam, quandoquidem divinitus instituta haec fuerant, ut antiquis hominibus essent quasi prospiciendae veritatis signacula (6); 3° denique Apostolum

(1) Epist. XI, cap. IV.
(2) Epist. XIX, cap. II.
(3) Ib., ib.
(4) Ib., ib.
(5) Ib., ib.
(6) Ib., ib.

hoc animo fuisse, ut « omnibus omnia fieret », jamque propter caritatem quasi sui exsortem factum, nec Judaeum amplius aut gentilem, aut aliquid hujusmodi remansisse; compassionis vero affectu potius eum laboravisse, quam simulationis vitio (1).

Validius haec Augustini acumina iterum Hieronymus retundit : quibus immorari operis non est nostri. Illum, quodam ad hominem argumento, compellat dicere num ipse tamquam episcopus id ipsum admittere velit, quod Paulo tamquam Apostolo concessit : aut, si facere renuit, quo iterum jure judaïsantium erroribus jam nunc obsistat, quos primi etiam fidei magistri non oppugnavere (2)? — In primis vero argumentum excipimus ad nostram spectans de mendacio indaginem, quo Hieronymus contra illud nititur, quod Augustinus tertio contenderat. Caritas enim, nisi ipsa fingatur, de veritate nihil unquam detrahere aggreditur : neque errando compatimur (quod iterum fallere est), sed ratione ac jure validius obsistendo (3). Itaque « compassionis » affectum, quem Augustinus nimiopere ostentaverat, Hieronymus, nedum aequo animo respiceret, eodem opprobrio dignatus est, quo pusillanimes hominis sensus apud fortes viros haben-

(1) « Hoc totum dixit, non ut fallaciter se fingeret esse quod non erat, sed ut misericorditer ita eis subveniendum esse sentiret, ac si ipse in eodem errore laboraret, non scilicet mentientis astu, sed compatientis affectu. » (Epist. IX, cap. IV.)

(2) Epist. XI, cap. IV.

(3) « Nova clementia Apostoli! dum Judaeos Christianos vult facere, ipse Judaeus factus est... Ego dico Petrum et Paulum timore fidelium Judaeorum legis exercuisse, imo *simulasse* mandata. Tu autem asseris hoc eos fecisse clementer... Illud autem argumentum... magis pro nobis facit. — Non enim poterat luxuriosos ad frugalitatem reducere, nisi se luxuriosum probasset? » (Epist. XI, cap. IV.)

tur. Denique, supra caetera quaecumque tempore successerint mentem attollens, Christum prospicit et invictum sibi Veritatis magistrum exoptat : « Nec me putes, inquit, magistrum esse mendacii, qui sequor Christum dicentem « ego sum via, veritas et vita ». Nec potest fieri ut Veritatis cultor mendacio colla submittam (1). »

Apostolicam sinceritatem Augustinus sincera ipse mente defendebat : catholica enim fide imbutus, enixe cupiebat ipsam munire, praeter quam hominum mentes arbitrabatur nulla jam sapientia pollere. Interea ad fidem quoque humanam respexit, per quam negotia fortiter aguntur, quibuscumque hominum societas omnis perseverat. At, cum animadverteret religionem, multo magis quam caetera negotia, fide subsistere ac proficere, enixus omni ingenio ac voluntate est, ut vel minimam suspicionis umbram de medio Catholicorum praeverteret; omnia etiam mala toleranda esse putavit, dummodo fideles a sacra Doctrina propter diffidentiam nunquam removerentur. Hac igitur voluntate, Priscillianistas mentientes, ut novimus, segnius insectatus est, quam Catholicos; hac etiam, Apostolicam simulationem, quantum potuit, excusavit. — Nec dicere possumus quibusnam praesidiis, praeter ea quae jam supra retulimus, sacram Doctrinam muniendam adhuc fore putaverit. Ipse enim haec ad Hieronymum rescribere non audebat; optavit autem eloquium, stylo securius, ad hoc opus sibi succurrere et auribus demittere quae per epistolam renuntiari non debent : « Non enim potest aut oportet litteris explicari quanta et quam inexplicabilia mala

(1) Epist. XI, cap. IV.

consequantur, si hoc concesserimus. Posset autem opportune minusque periculose demonstrari, si coram inter nos colloqueremur (1). »

(1) Epist. IX, cap. IV.

CAPUT QUINTUM

DE FICTIONE ALLEGORICA

I. — Cum Augustinus, ut vidimus (1), veritatem quasi tripartitam adspexerit, certitudinem, prout ex diversis fontibus oritur, non eamdem esse arbitrabatur in omni enuntiabilium genere. Homines enim auctori nostro videbantur ad incommutabilem veritatem, « quae in coelis manet », per doctrinam divinitus traditam propius accedere, quam ubi sola ratione nituntur. Ea quippe cognitio, quae per sensum atque intellectum efficitur, communem tantum veritatem habet, qua rerum mutationes utcumque mente signamus : hac vero meliorem existimat notitiam, quae nobis non res corporeas exhibet, sed mentibus nostris mysticas significationes ingerit, rerum nunquam nascentium aut morientium adumbrativas. Atque, hac sibi praestituta sententia, nonnullas enuntiationes in Scriptura positas, quae obvium falsitatis sensum, aut etiam mendacii, legentibus exhibent, potiore quodam veritatis jure ad rectitudinem trahit.

Hoc opere universalem in primis causatur hominum morem, unum aliquid dicentium ut alterum audientibus intelligatur : nulla enim fallendi voluptate, sed

(1) Cf. supra, cap. II, pp. 34 et 35.

optima quadam arte ad lucem edendi ea quae animo penitus latent, dicimus niveam esse canitiem, floridam juventutem, gemmare vites, odientium corda nigrescere etc. (1). Qua igitur significatione de Deo etiam inducta (quandoquidem hominibus seipsum Deus olim declaravit), Augustinus docet ea, quaecumque nobis de antiqua Hebraeorum gente renuntiantur, proprio sensu carere, nec intelligibilia esse, quamdiu ad Christum aut ad Ecclesiam Christianam per allegoriam non referuntur (2). Neque lato sensu hoc accipias : arbitratur enim hanc hominum gentem ad significationis usum ita a Deo fuisse adhibitam, ut quaecumque apud eam facta esse noveris, non per efficaciam naturae magis evenisse credas, quam Dei significantis opere, nec non res ipsas pro verbis assumentis (3).

Adesse signorum genus non diffitetur multo magis ad veritatem expeditum, eorum scilicet quorumcumque opere mentem caeteris ostendimus ; hujusmodi vero signa, quae arte vel natura praesto omnibus adsunt, rebus temporalibus modo inservire arbitratur; ea autem quae per allegoriam audiuntur, dignitati mysteriorum simul atque veritati prodesse (4). Commenda-

(1) *Contra Mendacium*, cap. x.

(2) « Quis enim in libris veteris Testamenti aliquid audeat affirmare non pertinere ad figurativam praenuntiationem? » (*De Mendacio*, cap. xv.)

(3) « Quippe cum Apostolus etiam filios Abrabam quos utique naturali ordine propagandi populi editos esse atque vixisse facillime dicitur, (non enim monstra et prodigia nata sunt ut ad significationem aliquam ducant animum) duo tamen Testamenta significare asseverat (Ep. Gal. IV, 22), quae facta invenies, quibus istam regulam deroges et affirmare praesumas ad figuram aliquam non esse redigenda? » (*De Mendacio*, cap. xv.)

(4) « Quae propterea figuratis velut amictibus obteguntur, ut

vit his modis, ut putat ille, futurae Religionis dogmata Deus, quemadmodum solemus ipsi homines discentibus doctrinam aliquantulum subtrahere, ut, majore discendi studio accensi, apertiore etiam mente accipiant (1).

Difficultas inde assurgit, quod figurativa enuntiatio, apud veteres audita, nimio tempore divellitur a Christo et Ecclesia; et, cum plures quam mille annos res tardaverit, quae sic enuntiabatur, significatio nemini tunc apparuit; atque interim falsa aut etiam nulla debuit remanere. At Augustinus nullatenus mente sic frangitur; et, quandoquidem Deus est qui loquitur, mille etiam interjectis annis, Veritatem sibi tamen constare asseverat (2). Falsitas, ut putat, modo adesset, si ea res nunquam efficeretur, quae tanto ante praesignata erat : « quae significantur enim, utique ipsa dicuntur (3) » ; neque falsum quid dixit Deus, qui omnia implevit a se quondam significata. — Itaque, quidquid « dixerit » Deus per manna, per aereum serpentem et caetera ejusmodi, hoc non ad unius aevi homines dictum credas, sed in Verbo quod supra omnium rerum mutabilitatem manet; ut, defunctis vita viris ad quos ipsa signa apparuerant, posteris multo post tempore veritas intelligeretur. Rem tan-

sensum pie quaerentibus exerceant et ne nuda ac prompta vilescant. » (*Contra Mendacium*, cap. x.)

(1) « Nec invidentur discentibus quod his modis obscurantur : sed commendantur magis, ut quasi subtracta desiderentur ardentius et inveniantur desiderata jucundius ». (*Ib.*, ib.)

(2) « Cum enim quae significantur non utique non sunt in veritate, sed sunt seu praeterita, seu praesentia, seu futura, procul dubio vera significatio est nullumque mendacium. » (*Contra Mendacium*, cap. x.)

(3) *Ib.*, ib.

dem nobis satis perspectam existimat, dummodo Deum noverimus arbitrio suo res verbis aptare, quemadmodum homines colloquendo signa rebus accommodant. Itaque, in hoc genere figurativae significationis, « palmam Veritas habuit, quia, ut significando praenuntiata sunt, ita consequenter claruerunt (1) ».

Hac igitur lege, Priscillianistarum sententiam Augustinus refellit dicentium suis mendaciis suffragari Deum, utpote qui Jacob, postquam etiam patrem suum Isaac fefellerit, electum et sanctum virum, teste Scriptura, renuntiaverit (2). — Etenim, quemadmodum ibi scriptum est, haedinis pellibus membra sua Jacob, opitulante pia matre Rebecca, contexit, quo melius fratris sui primogeniti Esaü speciem patri suo exhiberet, oculis utique capto, nec non benedictionem, inverso jure, sibi referret (3). Mendacium, omnes qui legebant, hoc fuisse dicebant. Attamen, uti Augustinus contendit, si causam proximam submoveas, qua illud actum est, alteram invenies multo quidem majoris momenti : namque primogeniti jura, non nativitate, sed electione divina Jacob obtinuit, qui genus emissurus erat, de quo ipse nasceretur Christus. Res igitur in allegoriam tota vertitur, et veritatem eo pacto exhibet multo majorem mendacio, quod adversarii ibi adesse putaverant : invenies enim, juxta Pauli Apostoli interpretationem, « per haedinas pelles peccata, per eum vero qui eis se operuit illum significatum esse (Christum), qui non sua sed aliena peccata portavit (4) ».

(1) *Contra Mendacium*, cap. x.
(2) *Ib.*, ib.
(3) *Gen.*, cap. xxv, 29-34 et cap. xxvii.
(4) *Contra Mendacium*, cap. x.

Communi tamen jure (quod Augustinus ipse non diffitetur) multa contra hanc interpretationem pugnant : omnino quidem sic falsum esse patrem Isaac; certo aetatis privilegio Esaü fraudatum fuisse; ipsum tandem Jacob ejus rei nullatenus conscium exstitisse, quae per suum mendacium significabatur. At Augustinus significationem de mente mentientis ad objectivam veritatem ita transtulit, ut omne mendacium per mysterium absorberetur (1). Interea nos, quanto potuimus opere, eam rem indagavimus, qua homo sui compos ac mentiri volens a mendacio excusari possit; nec aliud invenimus, quam magnum Augustini timorem haesitantis et Deum invocantis, qui forte jusserit ipsam mentem Jacob mentientis, ipso momento quo mentiebatur, a mendacio immunem permanere. De quo quaesumus, certior fias per haec aliunde excerpta : « Jacob homo simplex... sine dolo... Quis est in ista benedictione percipienda dolus hominis sine dolo? quis est dolus simplicis? quae fictio non mentientis? nisi profundum mysterium veritatis?.. Expavit Isaac (redeunte Esaü) nec tamen se deceptum esse conqueritur; imo, *confestim revelato sibi intus in corde magno sacramento*, devitat indignationem, confirmat benedictionem (2). »

II. — Mysticam significationem, etiam si ille qui sic loquitur apprime noverit homines non eam rem attendere, quam ipse intendit, sed alteram potiore jure intelligendam, Augustinus tamen existimavit nullo falsitatis vitio laborare. Imo vero illud dicendi genus

(1) « Jacob autem quod matre fecit auctore, ut patrem fallere videretur, si diligenter et fideliter attendatur, non est mendacium, sed *mysterium.* » (*Ib.*, ib.)

(2) *De Civitate Dei*, lib. XVI, cap. v.

totum ad sapientiam referebat; neque alia arte hominem magis, quam illa, putabat caeteris hominibus praestare. — Equidem Augustinum ibi vix agnovimus, virum veritatis usque adeo amatorem, quod litteras oderit propter imaginaria poetarum oblectamenta, quibus vitam animosque hominum male fucari querebatur; quem etiam audivimus « se primas illas litteras, quibus legere ac scribere docemur, pluris facere, quanti suaviora Vergilii carmina, utpote certiores » (1) : at nos opus non suscepimus Augustinum contrarium sibi arguere, magis vero ipsum agnoscere.

Suis igitur libris Christum non de planis sermonibus maxime extollit, quos « parabolas » vocant, quibus etiam abscondita quaedam animi munia mirabiliter panduntur; sed evangelica dicta in primis laudavit (si quae hic forte adsunt), quae per occultissimam analogiam mentes ad negotia coelestia trahunt. Ubi etiam hujusmodi deficiunt, haud semel virum deprehendimus quasdam enuntiationes, recto planoque sermone a Christo recitatas, ad mysticam significationem pia quadam adulteratione trahentem (2).

Simulavit aliquoties Christus, ut videtur ex Evangeliorum libro, humano prorsus more, se nescire quod sibi certo certius erat : cum mulier, verbi gratia, accessit a tergo ad eum ut sanaretur, quae sanguinis fluxum patiebatur, quaesivit ipse, non resciendi sed fingendi causa, « quis me tetigit? » (3); iterumque, quasi nesciens quod apprime sciebat, de Lazaro jam in sepulcro jacente interrogavit « ubi posuitis eum (4)? ».

(1) *Confess.*, liv. I, cap. XIII; cf. *ib.*, cap. XVI.
(2) *Contra Mendacium*, cap. XIII.
(3) *Evang. Luc.*, VIII, 45.
(4) *Evang. Joan.* XI, 33.

Itaque Augustinus, seu falsitatem plus aequo timebat, seu honorem Christo deferebat, quasi nihil omnino debuerit familiari ore dicere, oraculum his locis suspicatur, altas allegorias adstruit. Mulier, ut putat, gentilium vices gerit, de quibus Christo adhuc cura non erat : neque aliud Christus significavit, quaerendo « quis me tetigit » et quasi dicendo : « homines ad me modo non pertinent qui de genere Judaeorum non sunt » (1). Lazarum etiam vita functum Christus, non oculis, sed mente adspiciens, alteram cogitat mortem, qua peccatores multo miserius quam in sepulcro jacent : et, quoniam istorum mortuorum genus, multo magis quam gentilium, alienum sibi existimabat, hanc vocem, tamquam nesciens quod sciebat, divino ore protulit : « ubi posuistis eum? » (2). — Sed haec ad exemplum sufficiant.

Hanc interpretationem rationibus confirmat. — Christus enim, aiente illo, eodem mentis artificio tunc enitebatur, quo Horatius, ut sapientiam doceret, fingebat mus muri confabulatum esse et mustelam vulpeculae (3). Æsopum quoque producit Augustinus et rem sic concludit : « quod utique totum fingitur, ut ad rem quae intenditur, ficta quidem narratione, non mendaci tamen sed veraci significatione veniatur (4). » — Quantumvis nova haec, aut potius multum veterata videantur, Augustini mentem paulo amplius rimari juvat. Illud quidem omittit, quod praecipuum omnino videtur in hujusmodi fictionibus, quas ideo non putamus mendacia, quia praemoniti sumus fictive seu alle-

(1) *Contra Mendacium*, cap. XIII.
(2) *Ib.*, ib.
(3) *Ib.*, ib.
(4) *Ib.*, ib.

gorice eas ad nos enuntiari : ipse autem naturale sermonis nec non rationis officium non arbitratur iis modis perverti, verum arte quadam sublimiore superari, quam *Logicam mysticam* recte vocaveris. Qui enim mystice loquitur, homines, ut putat ille, non respicit ad quos verba fiunt, sed res ipsas tantum, utique magnas, quas in mente gerit : itaque, tantopere pressus atque deo plenus, hac sola lege tenetur quod sese intelligat. Neque aliud Augustinus attendebat, quum scriberet : « non enim omne quod fingimus mendacium est; sed quando id fingimus, quod nihil significat, tunc est mendacium (1). » Qui autem « id fingit quod nihil significat », non ad mendacium, sed ad stultorum genus refertur : at vir mystica mente praeditus, quandoquidem « mendax » aut « stultus » vocari non potest, praeter omne hominum genus reponitur et *Propheta* nominatur.

Denique Augustinum animadvertimus eodem loco subjicientem : « fictio igitur quae ad aliquam veritatem refertur, figura est; quae non refertur, mendacium est » (2); sed et expositionem nostram sic stabilivit. Hanc enim vocem, « *refertur* », passivo sensu non credas temere adhibitam hic esse : sic autem in ambiguo relinquitur utrum ab audiente, an a dicente allegoriam intelligi oporteat. Talis quidem significatio huc videtur vergere, ut omnis jam loquens non jubeatur propriam mentem caeteris enuntiare commode apteque intelligendam : nec ipse Augustinus diffitetur res aliquando verbis, tamquam quibusdam involucris, honeste abscondi posse; imo mysticas significationes

(1) *Quaest. evangel.*, lib. II, cap. LI.
(2) *Ib.*, ib.

eo fine fieri declaravit, ut a paucis quidem intelligantur, ab omnibus vero desiderentur (1).

III. — Mythicam seu allegoricam significationem saepe etiam Plato sermonibus suis adhibuit : et nos, quonam veritatis jure hanc pollere arbitraretur, eo magis ediscere juvat, quod sic Augustini sententiam propius assequimur (2).

Hujusmodi significationem Plato proprio nomine « *verisimilem* » nominavit (3) ; nec in omni sermonum genere locum habere probavit, sed ad certum quoddam demonstrandi opus tantum valere. « Intelligentiae » quidem munere, ut putat, ad mundum stabilem « Idearum », ratiocinando et cogitando, convertimur (4) ; res vero mutabiles, quibus iste mundus effingitur, sola « opinione » attingimus, quae duplici mentis officiio exseritur, « fide scilicet ac phantasia (5) ». Atqui mythicam significationem Plato ad hunc posteriorem speculandi modum retulit, qui « opinio » vocatur : re etiam propius attenta, allegoriam dixit exhibitionem quamdam esse ad hoc aptam, ut rerum originem aliqua conjectura, seu « *verisimilitudine* », assequamur (6).

(1) *Contra Mendacium*, cap. XIV.

(2) Quanam ratione Plato fabulas, seu ab aliis seu a seipso excogitatas, ad veritatem traxerit, nos, postquam opusculum D. Espinas *Introduction à la République* perlegimus, facilius intelleximus : sed et in primis de articulo IV, *constitution de la cité ; phases de sa vie*, exempla multa valent ad rem comprobandam, cui nunc attendimus. Cf. infra p. 72, note.

(3) « Τοὺς δὲ (λόγους) τοῦ πρὸς μὲν ἐκεῖνο ἀπεικασθέντος, ὄντος δὲ εἰκόνος εἰκότας ἀνὰ λόγον τε ἐκείνων ὄντας · ὅτι περ πρὸς γένεσιν οὐσία, τοῦτο πρὸς πίστιν ἀλήθεια. » (*Tim.*, 29, b. c.) « 'Αλλ' ἐὰν ἄρα μηδενὸς ἧττον παρεχώμεθα εἰκότας, ἀγαπᾶν χρή. » (*Ib.*, ib.)

(4) *Rép.*, liv. VII, 533-534.

(5) *Rép.*, liv. VI, 511, c, d, e.

(6) *Tim.*, 29, b, c.

Nulla enim quaestione tantopere exercebatur, quantopere illa « Idearum » extenuatione, seu ad materiam conversione, quam oportuit initio rerum accidere. Itaque arte quadam *sermonem medium instituit inter ea quae ad intelligentiam, et illa quae ad opinionem pertinent* (1) : figuras scilicet aut historias fingebat, quibus, etsi nulla propria veritas inerat, legentium tamen mentes admoverentur, tamquam erroribus sibi pulchre subvenientibus, ad cogitandum quanam arte « hujus universi pater » intelligibiles essentias ad imaginarium hunc mundum traduxerit (2). — Mythica igitur significatio ad ipsam « intelligentiam » non refertur, sed conjecturam aliquam gignit de prima rerum origine « *verisimilem* » ; nec tantam efficaciam habet, quantam ea quae proprie intelliguntur, sed multo minorem, ut nempe, rerum originem investigando ac mente nostra utcumque volvendo, ipsi quam minime fallamur. Sed neque diffitetur Plato « *mendacia* » esse ejusmodi fictiones, quales ipse attulit (uti legimus), cum vellet animi originem (3), aut mundi facturam (4), aut primordia civitatis ostendere (5) : causatur vero, « eo quod nescimus quemadmodum antiquarum rerum veritas se habeat, mendacium veritati quam proximum effingendo, utile nos facere (6). »

Augustinum igitur dicamus eatenus Platoni consen-

(1) *Tim.*, 28, a; 29, b, c.
(2) *Tim.*, 28, c.
(3) *Phéd.*, XXV, XXVI et seq.
(4) *Tim.*, 30 et seq.
(5) *Protagor.*, XI, XII.
(6) « Καὶ ἐν αἷς νῦν δὴ ἐλέγομεν ταῖς μυθολογίαις, διὰ τὸ μὴ εἰδέναι, ὅπη τἀληθὲς ἔχει περὶ τῶν παλαιῶν, ἀφομοιοῦντες τῷ ἀληθεῖ τὸ ψεῦδος ὅτι μάλιστα, οὕτω χρήσιμον ποιοῦμεν. » (*Rép.*, liv. II, 382, c. d.)

tire, qua ipse res quasdam captu difficiliores putavit, non recto, sed allegorico sermone exprimendas : sed, ubi notitia agitur, quae sic in mentem nostram cadit, quantum ab invicem ambos discedere novimus? Plato enim iis infirmitatis nostrae signis nihil arbitratur haberi, nisi incertam de fortuita rerum origine conjecturam; Augustino autem videtur homo mystico signorum adminiculo supra scientiam elevari, quae ratione etiam comparatur, nec non ad incommutabilem Deum accedere. Imo, dum Augustinus « palmam veritatis habere » mysticas significationes putat, easdem Plato dicit ex eorum mendaciorum numero esse, quae Deo si quis adscriberet, stultus atque impius utique foret : « Non est enim, inquit ille, cur Deus sic mentiatur; nam tam stultos vel insanos non habet familiares, ut omnia non recte intelligant sed per imagines ac fabulas edoceantur (1). »

(1) « Κατὰ τί δὴ οὖν τούτων τῷ θεῷ τὸ ψεῦδος χρήσιμον ; πότερον διὰ τὸ μὴ εἰδέναι τὰ παλαιὰ ἀφομοιῶν ἂν ψεύδοιτο; Γελοῖον μέντ' ἂν εἴη, ἔφη... Ἀλλὰ δι' οἰκείων ἄνοιαν ἢ μανίαν; Ἀλλ' οὐδεὶς, ἔφη, τῶν ἀνοήτων καὶ μαινομένων θεοφιλής. » (*Rép.*, liv. II. 382.) — Equidem Platonem agnoscimus, dum allegoriis significationem veram renuit, fabulas tamen ea mente adhibuisse, ut omnem rerum originem a Deo vere repeteret, rationes vero seu vias, quibus a Deo omnia orta sunt, nobis diceret nullatenus esse comprehensibiles. Hanc igitur sententiam suscipimus ex opusculo cui multum de ea re attendimus : « Il ne nie pas pour cela que l'origine première des sociétés soit divine et ne coupe pas le lien qu'il a établi entre la société des astres et la société humaine. Les récits du Politique... n'ont dès lors, il l'a dit lui-même, qu'une valeur symbolique, ce sont des images ; mais ils ne cessent pas, malgré cette réserve, de représenter un fait vrai, celui de la filiation historique qui rattache, selon lui, la royauté terrestre à la royauté céleste.... la justice d'ici-bas, à la justice absolue. » (Espinas, Introd. à la *Républ.*, p. 124.)

CONCLUSIO

Haec Augustini opuscula, quae tenui nostro opere expendimus, multum celebrata quondam fuere, magno etiam legentium nec non imitantium studio repetita. Cum enim rem moralem, aevo quod « medium » vocatur, sola rationis ope nemo tractaret, sed per Scripturam prius probari omnia tunc deberent, quam communi sensu expenderentur, auctoritatis palmam mox habuit Augustini doctrina de Mendacio hac utique lege condita.

At Augustinus (si quid ex opere nostro certum manet) propria magis sapientia, quam nudo Scripturarum praecepto, in iis libris enixus est : animum prudenter inspexit, in quo veritatis ac juris fundamenta reperiuntur (1) ; fidem recta facie adspexit, uti primariam hominis virtutem, caeteris virtutibus nunquam cessuram, quibus etiam animi maxime honestantur (2) ; certa naturae jura veriloquio nunquam obsistere ostendit (3) ; eorum in primis temeritatem fregit, qui caeco religionis studio fidem Dei per quaedam humanae fidei offendicula defendebant (4).

(1) Cf. supra, cap. I.
(2) Cf. supra, p. 48-51, cap. III.
(3) Cf. *de Mendacio*, cap. VII-X ; et hinc supra, cap. III.
(4) *Contra Mendacium*, cap. XI et passim ; cf. supra, cap. III et IV.

Equidem Augustinum invenimus certam Rationis evidentiam nec non mysticam veritatem aequo prorsus jure amplectentem : at, omni quaestione quae ad logicam mentis rectitudinem spectat nunc omissa, viri fidem ipsa obsequii sinceritate, quod religioni praestabat, perfectam evasisse putamus omnique suspicionis labe immunem. Integritas, inquam, *moralis,* quae sola hic agitur, per quam ipse animus sibi constare dicitur, eo magis huic viro remansit quod, aliqua contradictione ex parte intellectus assurgente, ipse non sic dividebatur, veritati insidiosum non se praebebat, fide autem Rationem vincebat, « se minime intellexisse non ambigebat (1) ».

Interea tamen anxios atque haesitantes nos effecit quaedam sententiarum connexio, quae ab Augustino ad quosdam juris ac virtutum praeceptores deprehenditur, haud utique laudabiles. Ea verba enim recolimus, quae de mendacio, seu de simulatione, Blasius Pascalis in epistola reposuit illarum nona, quae « *ad Provincialem* » inscribuntur : namque ibi duorum vel trium virorum nomina recitantur, quae ad magnum Augustini nomen verissimo successionis ordine referuntur (2).

Vir quidam de « societate-Iesu », nomine Daniel, optimo quidem jure nec non callida mente Pascalem reprehendit, eo quod Sanchez, Filiutium, Escobaremque nominaverit, tamquam authenticos

(1) Epist. ad Hier. XIX. cap. I.
(2) *Lettres à un Provincial*, éd. Garnier, pp. 139-141.

mendacii praeceptores; sed et, ut eum imperitiae convinceret, verba ipsa perhibuit quorumdam theologorum a « societate-Iesu » extraneorum, Bannezii scilicet, Prierasii ac Raymundi de Pennafort, in eamdem omnino sententiam recidentia, quam tantopere in epistola *ad Provincialem* nona exprobraverat (1). — Re quidem vera, si priorum illorum virorum de Mendacio placita in ipsis genuinis libris attenderis, Augustini de eadem re libros senties, non furtim, sed expressa intentione repetitos hic fuisse. Raymundus de Pennafort Augustini nomine inprimis nititur et quidquid ipse de Mendacio exhibuit in suis *de re Morali Tractatibus*, ad easdem distinctiones retulit, quibus Augustinus, uti novimus, octo mendacii genera enuntiaverat (2).

Hac tamen de causa Augustini de Mendacio doctrinam nemo, ut putamus, aequo jure infitiaretur. Quis enim, ipsius libris perlectis, quos hoc opere nostro, uti potuimus, expendimus, Augustinum auctorem arbitretur sententiarum, cujusmodi tantopere Pascalis insectatus est, *de Restrictione mentali?* — Neque omnem tamen consequentiam abesse hinc putes : re autem vera, Augustinus videtur in medium produxisse aliquam methodum, seu disputandi modum, quo caeteri deinde virtutum ac juris praeceptores niterentur, ut ea promerent, qualia Pascalis vituperavit. Pauca ad rem comprobandam sufficiant.

Scripturas disceptationibus de Mendacio dirimendis

(1) 2e lettre du P. Daniel au P. Serry. *Recueil de divers ouvrages historiq. théologiq., etc.*, Paris, 1724, in-4o, t. II, pp. 392-401. — Cf. *Lettr. Prov.*, édit. Molinier, notes, t. II, p. 283.

(2) *Summa theol. mor.*, éd. 1718, fol. 98, 99. — Cf. supra, cap. II.

ab Augustino adhiberi haud semel jam supra novimus; sed ipsas etiam Scripturas ita in disceptationem venisse, ut pro re morali grammaticum aliquod negotium ageretur, diversis in diversum sensum proprio utique arbitrio sacra verba referentibus (1). — Augustinus, fatemur, multa hujusmodi historice quidem profert, aliorum scilicet opiniones exhibendo, nec non eorum versutiam profligando, quibus « Scripturam suis mendaciis suffragari posse visum est (2) » : at ejusdem modi multa ipse assertorie produxit, quibus (salva utique optima viri fide) nobis videtur nitidam Rationis evidentiam semel atque iterum obscuravisse. Hoc pacto multa disseruit de « duplici hominis ore », non majori quidem opere, quam ut veniam homini concederet, qui mentali restrictione utitur ad patrem suum de morte liberandum (3); ipse mendacii compensationem tamdiu negavit, quamdiu sola humanitatis causa sibi objiciebatur, at, audito uno de Scripturis oraculo,

(1) Adsit postremum hoc exemplum. Assumebatur ille Psalmorum versus « *perdes omnes qui loquuntur mendacium* » (ps. V, v. 7), ad disceptationem de Mendacio enucleandam. At, disceptatione circa ipsum hunc versum exorta, interpretationem triplicem Augustinus exhibuit, per quam mendacium, aut semper prohiberi, aut semper licere, aut aliquando licere et aliquando prohiberi, diversis hominibus eodem auctoritatis jure videbatur. Qui de prima interpretatione contendunt, verbo « *omnes* » nituntur, uti sponte sonat; qui secundam, verbum « *loquuntur* » audiunt, eadem distinctione qua dicitur os hominis duplex existere, videlicet in corpore et in corde, neque peccatum sibi timent, dummodo corde mendacium oderint, quod voce tantum efficitur; qui tertiam, ex eodem psalmo quaedam proferunt, ut « omnes » quidem ostendant esse « perdendos », qui loquuntur certum quoddam « *mendacium* » specialiter ibi intentum, caetera vero mendacia ira divina carere. (Cf. *de Mendacio*, cap. XVII.)

(2) *Contra Mendacium*, cap. II.

(3) *De Mendacio*, cap. IX.

quo Deus dicitur « bene fecisse obstetricibus » mentitis, mente torquetur et pro mendacii compensatione dispensationem quamdam incerto prorsus jure admittit (1); Jacob tandem de mendacio (quod nunquam per Rationem auderet) per mysterium excusatum habuit (2); nec non apud posteros hujusmodi defensio usque modo praevaluit (3).

His etiam exclusis consequentiis, animadvertere tandem debemus Augustinum, haud incauto sed utique volenti animo, allegoriarum altitudinem ante sermonum rectitudinem habuisse. Non disserendo, sed propria viri referendo, hoc dicimus : ipse enim mysticas enuntiationes, quae « a paucis » aut etiam a diversis diverse intelliguntur, potiore veritate dignatus est, prae iis quae omnibus hominibus per Rationem constant. — Haec autem arbitratus, Augustinus significandi leges parum curavit; Aristotelica praecepta de re logica vel grammatica neglexit aut nescivit; Platonem etiam per invia mentis spatia errantem commentitiis verbis superavit. — At nos de Mendacio tantum inquirimus : itaque nihil in hac Augustini doctrina respeximus, nisi quod humanae fidei seu veriloquio congruit. Jamvero, si verborum significatio non eadem apud omnes homines servatur; si signa, quae instituta sunt communia, ad privatum sensum frequentius trahuntur (4); si Tempus de medio tollitur, in quo sumus et omnia dicimus vel cogitamus (5); si

(1) Cf. supra, p. 44-46.
(2) Cf. supra, p. 65, 66.
(3) Cf. S. Thom. S. th. p. IIa-IIae, q. CX, a. 3, ad 3um.
(4) Cf. supra, cap. V; p. 68, 69.
(5) *Contra Mendacium*, cap. X; cf. supra, cap. V; p. 64.

tandem omnes praehabitae notiones inter loquendum prope excluduntur : quid jam dicas remanere de legibus Ratione duce inter homines pactis, ad necessarium cogitationum vitaeque consortium ? — Eo quidem animo exstitit Augustinus, ut mysticam significationem miris modis ad pietatis officia omnem converteret ac sublimes inde sensus sibi adderet. Et (fatemur), quamdiu homo privata sua ipse sibi exhibet, quis mysticas significationes tamquam mendacia prohiberet? Verumtamen Augustinus figurativas enuntiationes existimavit, non privato tantum sensu pollere, sed certitudinem Ratione etiam potiorem sortiri (1). Quantum igitur de prudentia Platoni sic cesserit, ex iis quae supra comparavimus optime conjicies (2).

Equidem, hoc opere nostro jam perfecto, fidem arbitramur, qualem Augustinus ostendit et Christiani nominis decus esse voluit, mirabile ac novum quiddam hominibus olim apparuisse. Etenim M. Cicero, postquam jus civile jusserat majori gentium jure fulciri, securiorem etiam fidem requirebat et desiderio afficiebatur Veritatis effigiem desuper adipiscendi, magis expressam quam communi hominum conscientia habetur : hac enim vulgari conscientia dicebat « veri juris germanaeque justitiae umbram modo imaginesque » nobis adesse (3). Quam igitur puriorem de coelo fidem capessere optavit Augustinus ac vitae hominum addicere : etenim quibusnam, pu-

(1) *Contra Mendacium*, cap. x.
(2) Cf. supra, cap. v, p. 70-72.
(3) *De Offic.*, lib. III, cap. xvii, 69.

tas, imaginibus veritati propiores efficeremur, quam illa « intelligibili pulchritudine, de cujus falsi nihil ore procedit (1) », quam noster ille vir « super caput » adspexerat, quam verbis suis etiam tam fortiter expressit?

Attamen, nihil tam persuasum nobis est, quam hujusmodi fidem (si qua tunc fuit), qua animi Christianorum ita in Deum efferebantur, ut mori saepe maluerint quam mentiri, omnibus praeceptis vel litteris altiorem manere; neque, cessante afflatu divino quo, tamquam præsens Deus, Veritas iisce temporibus aderat, ipsam ullo docentium munere unquam esse ad nos redituram : solam tandem illam hominibus acquiescere fidem, quae probatur ratione ac propria voluntate concipitur. De qua etiam prudens dixit M. Cicero : « eas ipsas (justitiae imagines) utinam sequeremur (2) ! ».

(1) *Contra Mendacium*, cap. XVIII.
(2) *De Offic.*, lib. III, cap. XVII, 69.

VIDI AC PERLEGI
Lutetiae Parisiensi in Sorbona
a. d. XI kal. Sept. ann. MDCCCXCVI
Facultatis Litterarum
in Universitate Parisiensi Decanus
A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR
Academiae Parisiensis Rector
Pour le Vice-Recteur
L'Inspecteur de l'Académie
J. EVELLIN.

INDEX OPERIS

INTRODUCTIO

CAPUT PRIMUM

QUALE PECCATUM SIT MENDACIUM

CAPUT SECUNDUM

DE OCTO MENDACII GENERIBUS

CAPUT TERTIUM

AN MENDACIUM SIT ALIQUANDO EXCUSANDUM

CAPUT QUARTUM

DE SIMULATIONE

CAPUT QUINTUM

DE FICTIONE ALLEGORICA

CONCLUSIO

Le Puy-en-Velay. — Imp. R. Marchessou.